de quatuor aquarum partes dividi, ſicut fideliſſima Scriptura teſtatur; ſed flumina, quorum fontes noti eſſe dicuntur, alicubi iiſſe ſub terras, & poſt tractus prolixarum regionum, locis aliis erupiſſe, ubi tamquam in ſuis fontibus nota eſſe perhibentur. Nam hoc ſolere nonnullas aquas facere, quis ignorat? En ergo Auguſtinus potius quam neget, Paradiſum ſupereſſe, negat, fontes fluminum, qui nobis apparent, eſſe veros eorum fluminum fontes, ſed longiſſimo regionum tractu a vero Paradiſi fonte iiſſe ſub terras; ac tandem locis nobis notis, ac ſi inde primo manarent, erupiſſe.

IX. Quinto. Hoc idem fideliſſimus S. Auguſtini diſcipulus teſtatur, S. Thomam dico, tum hac *1. par. qu. 102. art. 1.* ubi ad præcipuum partis negativæ argumentum, nempe quod *aliqui diligentiſſime inquiſierunt omnia loca terræ habitabilis, qui tamen nullam mentionem faciunt de loco Paradiſi*, reſpondet: *ad tertiam dicendum, quod locus ille ſecluſus eſt a noſtra habitatione aliquibus impedimentis, vel montium, vel Marium, vel alicujus æſtuoſæ regionis, quæ pertranſiri non poteſt. Et ideo Scriptores locorum de hoc loco mentionem non fecerunt.* Et ibi *art. 2. ad 3.* oſtendit, Paradiſum non eſſe fruſtra, quamvis ibi non ſit hominum habitatio poſt peccatum. *Per hujuſmodi enim oſtenditur benignitas Dei ad hominem, & quid homo peccando amiſerit. Quamvis (ut dicitur) nunc Henoch, & Elias in illo Paradiſo habitent.* Tum etiam *3. par. qu. 49. art. 5. ad 2.* ubi ait: *Henoch raptus eſt ad Paradiſum terreſtrem, ubi cum Elia ſimul creditur vivere uſque ad adventum Antichriſti.*

X. Idem ſentiunt Bellarminus *lib. de Gratia primi hominis cap. 14.* ubi hæc habet: *Nullum umquam ex Veteribus legi, qui Paradiſum terreſtrem vel aquis diluvii, vel alia de cauſa periſſe ſcripſerit: & contra legi plurimos, qui illum extare affirment, ut Scolaſticos fere omnes... ac præterea veteres Patres, Irenæum, Hieronymum, Auguſtinum, Theodoretum, Bedam, Alcimum Avitum, & cæteros....* unde *non facile auderem a tam communi, celebrique opinione recedere*. Idem ſentit Sylvius in *1. par. qu. 102. art. 1. qu. 2.* citans Abulenſem, Cajetanum, Bannez, Zumel, Bonaventuram, Granados &c.

XI. Videat ergo prudens Lector, quid in hac parte ſibi ſtatuendum cenſeat, quod præcipue pendebit a loco, ubi fuerit Paradiſus, determinando. Si enim cum Recentioribus eum ſtatuerit in regione, quæ modo humanæ ſerviat habitationi, ut in Meſopotamia, vel alibi; ægre tueri poterit, Paradiſum etiamum ſupereſſe. Si vero eum locaverit in regione remotiſſima, hominibus ignota, & impervia, ut facit cum Veteribus S. Th. facile eum ſupereſſe tuebitur.

XII. Quod enim aquis diluvii obrutus dicatur, ac diſſipatus, non videtur eſſe tanti momenti, ut propter hoc negetur, eum adhuc ſupereſſe. Cum enim, ut bene notat Sylvius, neceſſe ſit, aliquem locum amænum agnoſcere ab hominum cognitione remotum, in quo poſt diluvium, & nunc degant Henoch, & Elias; quid vetat, eum eſſe Paradiſum terreſtrem: maxime accedente auctoritate Scripturæ Eccleſiaſtici 44. dicentis, Henoch tranſlatum eſſe in Paradiſum? Cumque inſuper ſit agnoſcendum miraculum, quo Henoch tempore diluvii fuerit ab aquis præſervatus; ſic ut eſto cum Noe in arca non fuerit, fuerit tamen, vel ſublimis in aere, vel ſi in terra, ab aquis intactus, vel alio modo ſoli Deo cognito: quid repugnat, eum in Paradiſo fuiſſe, & Paradiſum obrutum aqua non fuiſſe?

XIII. Dices. Repugnare Scripturam, quæ Geneſ. 7. dicit, aquas diluvii operuiſſe omnem terram, & omnes montes excelſos ſub univerſo Cælo.

Sed hoc non videtur obſtare. Sermo enim ibi eſt de univerſa terra ab hominibus peccatoribus habitabili, eorumque uſui ſerviente, propter quos immiſſum eſt diluvium. Nam ibi etiam dicitur *ver. 21. 22. & 23.* quod *univerſi homines, & cuncta, in quibus ſpiraculum vitæ eſt, in terra mortua ſunt.... remanſit autem ſolus Noe, & qui cum eo erant in Arca.* Et tamen neceſſe eſt excipere Henoch, qui non fuit cum Noe in Arca, quem quidem diluvio non periiſſe omnes credunt. Si ergo reſtringendus eſt Scripturæ textus ad ſolos homines vitam mortalem communi modo in terra degentes, cur reſtringi non poterit ad ſolam univerſam terram ab iiſdem habitabilem? Quod ſi etiam daretur, Paradiſi locum aquis diluvii obrutum fuiſſe; quis prohibetur credere, eum poſtea ſuæ amænitati a Deo fuiſſe reſtitutum, nullo quidem eum colente, ſed terra ſponte ſua, & loci amænitate, aeriſque temperie arbores, floreſque germinante, Deo ſic diſponente, qui locum illum, ut amænitati, ac voluptati deſerviret, produxit? Certe clauſum quidem legimus Paradiſum hominibus poſt peccatum, nullibi tamen legimus eum fuiſſe deſtructum, ac ſublatum. Et propterea nullus eum unquam adire potuit, non quia amplius non ſit; ſed quia Deus non permittit illuc accedere, ut D. Thomas citatus docet, & inſuper *2. 2. qu. 164. art. 2. ad 5.*

Hæc ſunt, quæ Paradiſum ſupereſſe etiam nunc, probabile olim reddiderunt; an vero etiam modo probabile efficiant, penſatis omnibus, judicet prudens. Hoc unum Candidatum meum moneo: non proinde, quia aliud non capimus, vel quia nobis difficile captu apparet, ſtatim negandum eſſe, ac deſerendum. Sed hæc ſatis.

QUÆSTIO III.

De ſtatu Hominis Innocentis quoad animam.

STatus innocentiæ fuit ille, in quo homo e manu Dei exivit, in quo multis prærogativis a ſuo Conditore ornatus fuit. *Quid enim* (ait Bernardus ſerm. 2. de Annunciat.) *illi deerat, quem miſericordia cuſtodiebat, docebat veritas, regebat juſtitia, pax fovebat? Qui erat Paradiſi accola, terræ Dominus, Cæli civis, domeſticus Domini, frater Beatorum ſpirituum, & Cæleſtium cohæres virtutum.* Has ergo ſublimes dotes, quarum & nos hæredes eſſemus, niſi infelices Protoparentes unico actu omnes prodegiſſent, in præſenti, & ſequentibus inveſtigare conabimur. Quia vero aliquæ ornabant animam, aliæ corpus: ideo S. Thomæ ordinem tenentes, prius dotes, quibus anima primi hominis fuerat inſignita, ſive quoad intellectum, ſive quoad voluntatem, cum eodem S. Doct. *1. par. qu. 94. 95. & 96.* percurremus.

Conveniunt Theologi Catholici, in triplici ſtatu poſſe conſiderari hominem; nimirum in ſtatu naturæ puræ, in ſtatu naturæ integræ, ſeu innocentis, & in ſtatu naturæ lapſæ. In primo ſtatu nunquam homo fuit, potuiſſe tamen a Deo in illo condi oſtendemus. In ſecundo fuit ante peccatum, & niſi peccaſſet, permanſiſſet. In tertio jacet in præſenti poſt peccatum obrutus miſeriis, ac ærumnis ex peccato relictis. De ſtatu innocentiæ agemus modo, deinde de ſtatu lapſus. Tandem de ſtatu naturæ puræ aliqua dicemus.

DUBIUM I.

Quali, & quanta ſcientia donatus fuerit Homo Innocens circa Deum, & Angelos.

§. I.

An ſtatus Naturæ integræ, & innocentis idem ſit?

I. DIrimenda primo venit controverſia, an ſtatus naturæ integræ, & innocentis pro eodem haberi debeant. Durandus enim *in 2. diſt.* 28. exiſtimavit, ſtatum naturæ integræ nihil aliud dicere, quam humanam naturam cum omnibus facultatibus ab ea naturaliter manantibus; quæ ſunt corpus juſtæ magnitudinis cum ſuis omnibus membris, & organis ſanitate, & vigore debito præditis; anima inſuper cum omnibus ſuis facultatibus, tum organicis, ſenſu ſcilicet, appetitu, & potentia loco motiva; tum inorganicis, intellectu nimirum, & voluntate cum carentia peccati quoad reatum pœnæ, & culpæ. Ex quo infert, non poſſe hominem condi in pura natura, quin etiam in ſtatu integræ naturæ creetur.

II. Verum modum hunc explicandi ſtatum naturæ integræ tamquam diminutum rejiciunt communiter Theologi; volentes, hunc ſtatum ad prædicta addere inſuper vigorem rationis ad continendum in debita obedientia appetitum ſenſitivum, ne præveniat rationem, ne repugnet ei; ſed voluntati ſecundum rationem imperanti ſtatim obtemperet. Quem vigorem in ratione, dicit Cajetanus, non eſſe naturæ ſimpliciter, quia a natura non fluit, nec ſimpliciter gratiæ, quia ex ſe non petit extendi niſi ad bonum naturæ rationali proportionatum, nempe vivere ſecundum rationem; ſed eſſe potius quodammodo naturæ, & quodammodo gratiæ; inquantum natura hoc non ex ſe habet, ſed ex conjunctione cum juſtitia originali vel cum alio ſpeciali dono, quod præciſa juſtitia originali, ei Deus conferre potuiſſet. Et hic merito a Theologis ſtatus naturæ integræ nuncupatur; quia in eo omnia ſunt integra, nempe ſuis locis, ac terminis omnia continentur.

III. Ex his infertur, quod eſto in Adamo ſtatus naturæ integræ cum ſtatu innocentiæ, & juſtitiæ originalis conjuncti fuerint; eſt tamen ſtatus naturæ integræ a ſtatu juſtitiæ originalis ſeparabilis: potuit enim Deus dare naturæ rationali vigorem ſubjiciendi ſibi appetitum in ordine ab bonum rationis naturale, ipſam in ordine gratiæ non collocando. Addo: quod ſtatus innocentiæ, ſeu juſtitiæ originalis, eſto ſtatum integritatis naturæ, & vigorem ſubjicientem appetitum ad bonum rationis includat, aut ſupponat, plura alia addit dona, & privilegia, nempe immortalitatem, indolentiam, immunitatem a deceptione, & errore, ac vigorem ſubjicientem appetitum etiam in ordine ad bonum ſupernaturale. Quapropter non improbabiliter ab aliquibus ſtatus naturæ integræ, & juſtitiæ originalis conſiderantur diverſi ſtatus. Nunc ad rem veniamus.

§. II.

An Homo Innocens Deum clare viderit?

IV. DIco primo. Primus homo innocens clare, & per eſſentiam Deum non vidit ſecundum communem ſtatum illius vitæ. Ita S. Thom. *1. par. qu. 94. art. 1.* cujus ratio eſt iſta. Nullus videns Deum per eſſentiam poteſt voluntate averti a Deo, quod eſt peccare: nam videns Deum poſſidet ſupernaturalem beatitudinem; nullus autem ab eo beatitudine jam poſſeſſa, averti poteſt: & propter hoc omnes videntes Deum per eſſentiam ſic in amore Dei ſtabiliuntur, ut in æternum peccare non poſſint: ſed primus homo de facto peccavit; ergo ſecundum ſtatum illius vitæ Deum per eſſentiam non videbat.

V. Nec obſtat, quod Damaſcenus *lib. 2. Orthod. fidei cap. 11.* S. Auguſtin. *lib. 14. de Civit. Dei cap. 10. & 26.* dicant, quod primus homo erat beatus, fruens Deo —— Nam reſpondet

det D. Thom. hic *ad 1.* quod homo in Paradiſo beatus fuit non illa perfecta beatitudine, in quam transferendus erat, quæ in viſione Dei conſiſtit, neque fruitione, quæ conſequitur ad realem poſſeſſionem ſummi boni; ſed beatitudine ſecundum quemdam modum, in quantum nihil ei deerat de integritate, & perfectione hujus vitæ, & fruebatur ſuo fine habito intentionaliter tantum.

VI. An vero primus homo viderit divinam eſſentiam per modum tranſeuntis, ſicut *in Tract. de Viſione* probabile reputavimus cum S. Doct. de Moyſe, & D. Paulo in raptu; hic non determinat S. Thom. ſed ait: *Niſi forte dicatur, quod viderit eum in raptu, quando Deus immiſit ſoporem in Adam, ut dicitur Geneſ. 2.* attamen partem negantem, ut probabiliorem amplectitur *qu. 18. de Verit. art. 1. ad 14.* dicens: *quia non expreſſe habetur, quod in illo ſopore Deum per eſſentiam viderit, poſſumus dicere, quod in illa exſtaſi elevatus fuit, non ad ipſam Dei eſſentiam videndum, ſed ad cognoſcenda quædam profundiora de divinis myſteriis, quæ ſecundum communem modum humanæ cognitionis tunc ſibi competebant.*

VII. Dico ſecundo. Primus homo eſto Deum per eſſentiam non viderit, habuit tamen altiorem de Deo cognitionem, quam nos habeamus. Ita S. Thom. laudatus, quod explicat ſic: Nos enim quia incurvati ad hæc ſenſibilia, & circa hæc occupati, impedimur, ne per aliud medium quam per ea Deum cognoſcamus: at, ut dicitur Eccleſiaſte 7. ver. 30. *Deus fecit hominem rectum;* hæc autem rectitudo hominis divinitus inſtituti erat, ut inferiora ſubdita ſuperioribus non impedirent hominem a rerum ſuperiorum cognitione. Unde homo non ſolum per effectus ſenſibiles, ſed maxime per intelligibiles, quos per irradiationem primæ veritatis percipiebat, ſive naturali cognitione, ſive gratuita Deum cognoſcebat, & ſic etiam clarius, quam nos. Quia *quanto aliqua creatura eſt altior, & Deo ſimilior, tanto per eam Deus clarius videtur; ſicut homo perfectius videtur per ſpeculum, in quo expreſſius imago ejus reſultat. Et ſic patet quod multo eminentius videtur Deus per intelligibiles effectus, quam per ſenſibiles, & corporeos.*

VIII. Hinc apparet differentia inter modum, quo primus homo cognovit Deum, & quo nos cognoſcimus. Nos enim per ſola ſenſibilia Deum cognoſcimus; ille per effectus intelligibiles Deum cognoſcebat: deinde per ſenſibilia nos, quaſi addiſcentes, notitiam Dei ex ſenſibilibus comparamus, ille jam per intelligibiles ſpecies edoctus, Deum, quem jam noverat, ex creaturis conſiderabat. Ita Div. Thom. qu. 28. de Verit. art. 2. in cap. *Nos nec Deum, nec alias ſubſtantias immateriales cognoſcere poſſumus naturaliter, niſi per res ſenſibiles. Sed ex perfectione gratiæ hoc habebat homo in ſtatu innocentiæ, ut Deum cognoſceret per inſpirationem internam ex irradiatione divinæ ſapientiæ; per quem modum Deum cognoſcebat, non ex viſibilibus creaturis, ſed ex quadam ſpirituali ſimilitudine ſuæ menti impreſſa. Ita igitur in homine duplex cognitio erat: una, qua cognoſcebat Deum conformiter Angelis per inſpirationem internam; alia, qua cognoſcebat Deum conformiter nobis per ſenſibiles creaturas. Differebat autem hæc ejus ſecunda cognitio a cognitione noſtra, ſicut differt inquiſitio habentis habitum ſcientiæ, qui ex notis conſiderat ea, quæ quandoque noverat, ab inquiſitione addiſcentis, qui ex notis ad ignota nititur pervenire. Nos autem Deum aliter notum habere non poſſumus, niſi ex creaturis ad ejus notitiam veniamus: Adam vero Deum aliter ſibi notum, ſcilicet per illuſtrationem internam, ex creaturis conſiderabat.* Hæc D. Thom.

IX. Obſervat quoque S. Doctor, quod duplex eſt medium: unum, *in quo ſimul videtur, quod per medium videri dicitur, ſicut cum homo videtur per ſpeculum, & ſimul videtur cum ipſo ſpeculo. Aliud medium eſt, per cujus notitiam in aliquid ignotum devenimus, ſicut eſt medium demonſtrationis.* Sine hoc medio primus homo videbat Deum, *non tamen ſine primo medio. Non enim oportebat, primum hominem pervenire in Dei cognitionem per demonſtrationem ſumptam ab aliquo effectu, ſicut nobis eſt neceſſarium; ſed ſimul in effectibus, præcipue intelligibilibus, ſuo modo Deum cognoſcebat.* Ita hac qu. 94. art. 1. ad 3. *Fortaſſis* (inquit Div. Auguſt. lib. 11. de Geneſ. ad litt. cap. 33.) *Deus primis hominibus antea loquebatur, ſicut cum Angelis loquitur, ipſa incommunicabili veritate illuſtrans mentes eorum, etſi non tanta participatione divinæ eſſentiæ, quantam capiunt Angeli.*

X. Nec dicas. Sicut lux corporalis facit viſibile in actu, ita lux intelligibilis facit intelligibile in actu: ſed non poteſt viſibile actu videri, quin ipſa lux videatur; ergo non poteſt intelligibile videri, quin lux intelligibilis videatur; ergo ſi iſta lux reſpectu primi hominis erat ipſa incommunicabilis veritas illuſtrans mentem, ipſa quoque a primo homine vidente mentem ſuam, & intelligibilia videbantur.

Nam reſpondeo, diſt. min. quin ipſa lux, ut participata in ſubjecto, quod videtur, videatur, conc. min. ut eſt in ſubjecto a quo emanat, nego min. & utramque conſeq. Reſponſio eſt D. Thom. qu. 18. de Verit. art. 1. ad 10. *Ipſa* (inquit) *eſſentia divina comparatur ad intelligibilia, ſicut ſubſtantia Solis ad viſibilia corporalia. Non eſt autem neceſſe, ut qui videt colorem aliquem, videat ſubſtantiam Solis, ſed ut videat lumen Solis, prout eo color illuſtratur. Similiter non eſt neceſſarium, ut ille, qui cognoſcit aliquid intelligibile, videat eſſentiam divinam; ſed quod percipiat lumen intelligibile, quod a Deo originaliter manat, prout ipſe eſt aliquid intelligibile actu.*

§. III.

An primus Homo clare viderit Angelos?

XI. DIco. Primus homo non vidit Angelos clare, & per eſſentiam, eos tamen clarius cognovit, quam nos. Ita D. Thom. hac *qu. 94.* art. 2. Et ratio eſt: quia anima primi hominis in ſtatu innocentiæ habebat quidem corpus perfecte ſubditum, & in nullo eam impediens; erat tamen accommodata ad corporis perfectionem, & gubernationem ſecundum vitam animalem, ſicut nunc: at animæ ſic accommodatæ tantum competit modus intelligendi per converſionem ad phantaſmata, quæ nullo modo repræſentare poſſunt Angelos ſecundum eſſentiam. *Sic igitur* (concludit S. Doct.) *anima primi hominis non poterat quidem videre Angelos per eſſentiam: ſed tamen excellentiorem modum cognitionis habebat de eis, quam nos habeamus; quia ejus cognitio erat magis certa, & fixa circa interiora intelligibilia, quam cognitio noſtra: & propter tantam eminentiam dicit Gregorius* (4. Dialog. cap.) *quod intererat Angelorum ſpiritibus*, non enim a ſenſibilibus diſtrahebatur, ſicut nunc.

Unde ibidem *ad ſecundum*, ait: *quod hoc, quod anima primi hominis deficiebat ab intellectu ſubſtantiarum ſeparatarum, non erat ex aggravatione corporis, ſed ex hoc, quod objectum ei connaturale erat deficiens ab excellentia ſubſtantiarum ſeparatarum. Nos autem deficimus propter utrumque.*

XII. Porro hunc modum cognoſcendi per converſionem ad phantaſmata habebat anima primi hominis, nedum quoad naturalia, ſed etiam quoad ſupernaturalia; hoc enim expreſſe docet S. Magiſter *qu. 18. de Verit. art. 5.* Cognitio enim per gratiam eſt quidem elevatior quantum ad res, quas facit cognoſcere; ſicut cum per gratiam fidei elevamur ad cognoſcenda myſteria, quæ ſunt ſupra rationem, & ſimiliter per gratiam prophetiæ; ſed quantum ad modum cognoſcendi non elevatur humana cognitio, niſi ſtatus mutetur: cum autem, ut dictum eſt, modus cognoſcendi animæ primi hominis, etiam in ſtatu innocentiæ, fuerit proprius animæ, dum eſt in ſtatu viæ, qui eſt per converſionem ad phantaſmata; ideo hoc modo debuit anima Adami cognoſcere tam naturalia, quam ſupernaturalia: niſi forte ponamus, eum per gratiam in altiorem ſtatum elevatum, ſicut fuit Paulus in raptu. Hæc eſt doctrina S. Thomæ loco laudato.

XIII. Nec dicas, quod Adamus in illo ſtatu omnibus corporibus dominabatur. Id enim concedo: ſed dominium, quod habebat ſuper res corporeas, non erat tale, ut poſſet exercere ſuas operationes abſque corpore, & abſque rerum corporalium miniſterio. Erat ergo in hoc, quod eis utebatur ſine impedimento; ita quod inferiora ſubderentur ſuperioribus, nec illa iſta impedirent. Sicut ergo pede, & manu utebatur, ut ſe inferioribus; ita & ſpeciebus, ac phantaſmatibus, ut nihil inferius poſſet illum impedire.

DUBIUM II.

Qualis, & quanta fuerit Hominis cognitio quoad alia.

§. I.

Reſolutio circa naturalia.

I. DIco. Primus homo in ſui conditione habuit cognitionem omnium rerum, quas naturaliter homines poſſunt cognoſcere. Ita D. Thom. *qu. 94. art. 3.* Id conſtare videtur ex *cap. 17.* Eccleſiaſtici, ubi deſcribuntur dona primis hominibus in eorum conditione collata; inter quæ ver. 5. legitur; *cor dedit illis excogitandi, & diſciplina intellectus replevit illos.* Et ver. 6. *creavit illis ſcientiam ſpiritus, ſenſu implevit cor illorum, & mala, & bona oſtendit illis.* Quare D. Auguſtinus lib. 5. Oper. imperfecti cap. 1. contra Julianum, qui, utpote Pelagianus, oppoſitum ſentiebat: *Neque* (inquit) *ſecundum Chriſtianam cogitatis fidem, qualis ſit factus Adam, qui univerſis generibus animarum vivarum nomina impoſuit; quod excellentiſſimæ fuiſſe indicium ſapientiæ, in ſecularibus etiam litteris legimus. Nam ipſe Pythagoras, a quo Philoſophia nomen exortum eſt, dixiſſe fertur, illum fuiſſe omnium ſapientiſſimum, qui vocabula primus indidit rebus.* Deinde oſtendit, quod, etſi hoc de Adamo non ſciremus; id tamen aperte conſtaret ex natura, quam undequaque perfectam, & ſine ullo vitio a Deo acceperat: quis enim, inquit, *exiſtimet non eſſe animi vitia, vel memoriæ, vel intelligentiæ tarditatem?*

II. Hinc probatur ratione D. Thomæ ſic. Ille, qui eſſe debebat primum principium aliorum hominum non ſolum per generationem, ſed etiam per inſtructionem, & regimen, debuit fieri, & eſſe perfectus, non ſolum quantum ad corpus per virtutem generativam, ut ſtatim poſſet alios generare, ſed etiam quantum ad animam, ut ſtatim poſſet alios inſtruere, & gubernare: atqui primus homo factus fuit, ut eſſet primum principium omnium aliorum hominum, non ſolum per generationem, ſed etiam per inſtructionem, & regimen: nec potuiſſet bene alios inſtruere, & regere, niſi habuiſſet notitiam omnium eorum, quæ ſtudio, & diligentia humana poſſunt cognoſci; ergo &c.

III. Confirmatur primo. Quæ Deus proxime, & immediate producit, ſunt perfectiſſima; ſicut enim Cæli, & ſydera cum tota ſua perfectione creata ſunt; ſicut plantæ, cæteraque animalia producta fuere cum tota perfectione ſuæ naturæ debita: ita de quacumque alia re a Deo immediate producta, *Dei* enim *perfecta ſunt opera* (Deuteron. 30. ver. 4.) ſed homo primus fuit immediatum opus Dei; ergo prodire debuit

buit perfectus non ſolum quantum ad corpus, ac prædictus omni vigore, quo abſque defectu omnia corporis munia poſſet obire; ſed etiam, immo magis, perfectus quantum ad animam, ut nihil ei de ſcientia, quæ eſt animæ vigor, deeſſet.

IV. Confirmatur ſecundo. Si Adam creatus fuiſſet ſine ſcientia, eamque ſtudio, & opera paulatim ſibi acquirere debuiſſet, aliquo tempore in veritatis ignoratione verſatus fuiſſet: ignorantia autem in homine ſciendi cupido admodum moleſta, & acerba, & felicitati illius ſtatus contraria fuiſſet. Adde: quod ſi pro aliquo tempore in veritatis ignoratione fuiſſet, potuiſſet pro eo in multos errores prolabi, aſſentiendo falſis opinionibus pro veris, aut vera pro falſis reprobando, quod ſtatui naturæ innocentis non conveniret. *Nam* (ut ait Auguſt. *lib. 3. de Lib. arb. cap.* 18. & confirmat lib. de Natura, & gratia cap. 67.) *ſunt revera omni peccanti animæ duo iſta pœnalia, ignorantia, & difficultas. Ex ignorantia dehoneſtat error, ex difficultate cruciatus affligit. Sed approbare falſa pro veris, ut erret invitus . . . non eſt natura inſtituti hominis, ſed pœna damnati.*

V. Advertit tamen S. Thomas *in corp. artic.* quod primus homo omnia quidem naturalia, & humano ſtudio acquiſibilia, ſicut & omnia ad gubernationem vitæ humanæ cognovit. *Alia vero, quæ nec naturali hominis ſtudio cognoſci poſſunt, nec ſunt neceſſaria ad gubernationem vitæ humanæ, primus homo non cognovit, ſicut ſunt cogitationes hominum, futura contingentia, & quædam ſingularia; puta quot lapilli jaceant in flumine, & alia hujuſmodi.* Quibus retractavit ea, quæ in oppoſitum docuerat *q.* 18. *de Verit. a.* 4. Quamvis, ſi bene conſideretur, ejus mens ibi fuerit concedere primo homini ſolam cognitionem futurorum, quæ naturaliter in ſuis cauſis dignoſci poſſunt, aliorum autem, non omnium, ſed eorum ſolum, quæ ſibi fuerunt divinitus revelata. Ita enim ſeſe explicat *q.* 18. *citata a.* 4. *ad* 1.

VI. Advertit etiam Sanctus Doctor hic ad primum: *Quod primus homo habuit ſcientiam omnium per ſpecies a Deo infuſas. Nec tamen ſcientia illa fuit alterius rationis a ſcientia noſtra: ſicut nec oculi, quos cæco nato Chriſtus dedit, fuerunt alterius rationis ab oculis, quos natura produxit.*

VII. Advertit pariter ibidem ad tertium: *quod Adam in ſcientia naturalium ſcibilium non profeciſſet quantum ad numerum ſcitorum, ſed quantum ad modum ſciendi; quia quæ ſciebat intellectualiter, ſciviſſet poſtea per experimentum. Quantum vero ad ſupernaturalia cognita profeciſſet etiam quantum ad numerum per novas revelationes, ſicut & Angeli proficiunt per novas illuminationes.* Nota tamen, quod cum dicit, quod Adam non profeciſſet quantum ad numerum naturalium ſcitorum, intelligendus eſt de numero ſcitorum, ſpecie diverſorum, quorum omnium notitiam a Deo accepit ab initio; non vero de numero individuorum, quæ in unaquaque ſpecie continentur, ſicut de numero lapillorum, qui jacent in fluvio, arenarum, quæ ſunt in mari, & ſimilium; ſicut nec de cogitationibus cordium, de futuris contingentibus &c. hujuſmodi enim, ut docet *quæſt.* 18. *de Verit. artic.* 4. *ad* 10. ſenſuum experimento, vel etiam cum adimplebantur, nota ei fiebant, cum prius ei fuiſſet ignota. Uno verbo quantum ad ea, quæ ab initio non noverat, ſucceſſive proficere poterat, quantum vero ad ea, quæ noverat, non proficiebat; ſed quod prius ſciverat per ſcientiam mentis, poſtmodum cognoſcebat etiam per experientiam ſenſus, quod erat ei delectabile.

VIII. Si dicas. Primus homo profeciſſet quantum ad meritum; ergo etiam profeciſſet quantum ad ſcientiam rerum.

Reſpondeo ex D. Thom. hic *ad* 3. diſparem eſſe rationem inter ſcientiam, & meritum. Ideo enim debuit habere ab initio omnium naturalium, & ad regimen pertinentium cognitionem, quia cum deberet eſſe hominum principium ſciendi, & Magiſter ac Rector, debuit omnibus ad hoc pertinentibus eſſe ab initio plene inſtructus: at non debebat eſſe aliis principium merendi, & propterea non debuit ab initio habere omne meritum, ſed in illo paulatim proficere.

IX. Addendum tamen exiſtimo ex eodem S. Th. *in* 2. *diſt.* 23. *art.* 2. quod hanc rerum naturalium cognitionem aliter habuit Adam, aliter ad ejus Poſteros perveniſſet, ſi ſtetiſſet. Nam *Adam tamquam principium totius humani generis omnem perfectionem, quæ naturæ humanæ competit, in ſui primordio accepit, ſicut ſecundum corpus, ita & ſecundum animam; ut eſſet potens ad propagandum alios corporaliter, & inſtruendum intellectum. Filii autem ejus, quia cum originali juſtitia naſcebantur, quæ ſine prudentia eſſe non poteſt, ſicut nec aliqua virtus . . . . Ideo oportuit quod ſtatim nati habitum habuiſſent cognitionis illius per quam cognoſcere poſſent, quid agere, & quid vitare deberent (quamvis forte uſus rationis impediretur, ſecundum unam opinionem, propter organorum indiſpoſitionem) ſed habitum cognitionis aliarum rerum non eſt neceſſe, quod in ſua nativitate habuiſſent, ſed per inventionem, & doctrinam; ut tantum ſimul cum perfectione corporis, & perfectio cognitionis compleretur.* Ita S. Thomas

X. Oppones primo ex Cajetano, Adamum non noviſſe naturam elementorum, Cælorum, & ſyderum, quæ tamen ſunt præcipuæ Mundi partes. Tum quia eorum cognitio eſt reſervata ſoli Deo, Pſalm. 146. v. 4. *Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Tum quia ex eo colligimus, Adamum habuiſſe ſcientiam omnium animalium, quia eis nomina impoſuit: ſed non impoſuit nomina elementis, Cælis, ac ſyderibus; ergo horum ſcientiam non habuit.

XI. Reſpondetur, negando ant. Nam ex perſona Salomonis ſcribit Auctor libri Sapientiæ cap. 7. ſe accepiſſe a Deo *horum, quæ ſunt, ſcientiam veram*, ut ſciat *diſpoſitiones Orbis terrarum, & virtutes elementorum . . . . anni curſus, & ſtellarum diſpoſitiones.* Quod ſi hanc notitiam habuit a Deo Salomon, multo magis eam habuit Adamus, ut infra dicetur. Pſalmus vero, vel de perfectiſſima ſtellarum notitia loquitur, quæ certe ſolius Dei eſt, vel de ſcientia cum imperio, & dominio conjuncta. Sic enim ſolus Deus ſtellarum numerum, & proprietates novit, ut eas tamquam Dominus regat, & velut ſuis nominibus vocatas, ad nutum ſibi obedientes faciat, juxta illud Baruch 3. v. 35. *Stellæ . . . . vocatæ ſunt, & dixerunt, adſumus.*

Neque quod eis nomina non impoſuerit Adamus, argumento eſt, eorum ſcientiam non habuiſſe. Etenim, puto, non negabitur Adamum habuiſſe ſcientiam lapidum, metallorum, ſtirpium, ac piſcium, quibus tamen nomina eum impoſuiſſe non legimus. Impoſitio ergo nominum eſt quidem argumentum cognitionis; attamen negatio impoſitionis nominum non arguit negationem cognitionis.

XII. Sed dices. Nec etiam cognitionem rerum inanimatarum, nec plantarum habuit Adamus. Nam Auguſt. *l.* 8. *de Geneſ. ad litt. c.* 9. dicit, quod ideo poſitus fuit in Paradiſo, ut naturas rerum experiretur: ſed experimentum eſt principium cognitionis accipiendæ a ſenſibus; ergo &c.

Reſpondet D. Th. in 2. ſentent. diſt. 23. art. 2. ad 2. *quod aliquis experitur aliquid dupliciter. Vel ut ex ſenſibilibus, quorum experientia habitum cognitionis acquirit; ſicut in nobis fit, qui multis experimentis unum univerſale colligimus, quod eſt principium artis, vel ſcientiæ: & ſic Adam experimento non indigebat. Alio modo, ut id, quod aliquis per habitum cognitionis tenet, etiam in rebus videt; hoc enim facienti delectabile eſt: & ſic Adam experimenta de naturis ſumpſiſſet.*

XIII. Oppones ſecundo. Adamus credidit, ſerpentem, qui eum decepit, eſſe loquacem; ergo ejus naturam non cognoſcebat. Credidit inſuper illi ſcientiam promittenti, & ut ipſam obtineret, fregit mandatum Dei. Denique poſt eſum fructus vetiti teſtatur Scriptura, apertos fuiſſe oculos amborum; ergo prius erant cæci, non corpore, ſed mente.

Reſpondeo primo, neg. ant. Non enim Adamus, ſed Eva credidit, & a ſerpente decepta fuit; unde ipſa Gen. 3. *v.* 13. ait: *Serpens decepit me.* Ita S. Auguſt. lib. 14. de Civit. Dei cap. 11. *ſicut enim* (inquit) *Aaron erranti populo ad Idolum fabricandum non conſenſit inductus, ſed ceſſit obſtrictus; nec Salomonem credibile eſt, errore putaſſe, Idolis eſſe ſerviendum, ſed blanditiis femineis ad illa ſacrilegia fuiſſe compulſum: ita credendum eſt, illum virum ſuæ feminæ, uni unum, hominem homini, conjugem conjugi, ad Dei legem traſgrediendam, non tamquam verum loquenti crediſiſſe ſeductum, ſed ſociali neceſſitudine paruiſſe. Non enim fruſtra dixit Apoſtolus* (1. *ad Timoth.* 2. *v.* 14.) ſed & Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta eſt; *niſi quia illa, quod ei ſerpens locutus eſt, tamquam verum eſſet, accepit, ille autem ab unico noluit conſortio dirimi, nec in communione peccati, nec ideo minus reus, ſed ſciens, prudenſque peccavit. Unde & Apoſtolus non ait:* non peccavit, *ſed* non eſt ſeductus. Hæc D. Auguſtinus. Et quidem in muliere, quæ ad alios inſtruendum ordinata non erat, tanta ſcientia non requirebatur, quæ a deceptione eam præſervaret. Sed de his infra.

XIV. Reſpondeo ſecundo, negando antec. Nam Eva (& Adamus etiam) non exiſtimavit ſerpentem ſuapte natura eſſe loquacem, ſed putavit, illi ineſſe virtutem aliquam ſuperiorem latentem, ut ait D. Thom. hac *quæſt.* 94. *art.* 4. *ad* 2. eo vel maxime, quod illi promittebat ſcientiam, non naturalem, ſed ſupernaturalem, & plane divinam, qualem Deus habet, dum ait: *eritis ſicut Dii ſcientes bonum, & malum* (Gen. 3. v. 5.) Quibus reſpondetur etiam ad ſecundum. Credidit enim Eva, credidit & Adam promittenti Diabolo non Scientiam, qualem decet homines habere, & qualem dicimus a Deo accepiſſe, ſed ſcientiam, quam nec habebant, nec habere poterant, nempe divinam. Priori tamen ſolutioni ſtandum eſſe, infra dicemus.

Quod vero aperti ſint oculi eorum, hoc non fuit per alicujus novæ ſcientiæ infuſionem, aut acquiſitionem, ſed per prioris uſum, & experientiam: aperti ergo ſunt eorum oculi *ad diſcernendum inter bonum, quod amiſerant, & malum, in quo inciderant*, ut ait D. Auguſt. *lib.* 14. *de Civit. Dei c.* 17. unde ſermo eſt de ſcientia experimentali, qua, peccato perpetrato, agnoverunt nuditatem ſibi turpem ob inſurgentes in carne libidinis motus inordinatos, quos antea non experiebantur.

XV. Obſervandum tamen cenſeo cum S. Thoma hac *q.* 94. *a.* 4. *ad* 1. quod antequam Eva ſeducta eſſet a ſerpente, & Adam Evæ peccato communicaret, uterque jam interius peccaverat, & innocentiam amiſerat. Etenim, inquit: *illa ſeductio mulieris, etſi præceſſerit peccatum operis, ſubſecuta tamen eſt peccatum internæ elationis. Dicit enim Auguſt.* (lib. 11. de Geneſ. ad litt. cap. 30.) *quod mulier verbo ſerpentis non crederet, niſi jam ineſſet menti ejus amor propriæ poteſtatis, & quædam de ſe ſuperba præſumptio.* His addo eumdem S. Auguſt. *l.* 5. *contra Julian. c.* 4. ubi ait: *In Paradiſo ab animo quidem cœpit elatio, & ad præceptum tranſgrediendum inde conſenſio; propter quod dictum eſt a ſerpente: eritis ſicut Dii: ſed peccatum illud homo totus implevit.*

XVI. Si quæras: an Adamus ſapientia præceſſerit cæteros homines, etiam Salomonem, de quo 3. Reg. 3. v. 12. *Dedi tibi cor ſapiens, & intelligens, in tantum, ut nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit.*

Reſpondeo affirmative, & quoad tria. Primo. Scientia Adami excellentior fuit, quantum ad amplitudinem quia ſe extendebat ad omnia naturaliter ſcibilia, & ad permulta ſupernaturalia.

Secundo. Quantum ad modum, quo naturalia omnia ſciebat certo, & ex cauſis propriis. Tertio. Quantum ad firmitatem; quia, durante ſtatu innocentiæ, non poterat ullo modo, neque per diuturnam ceſſationem ab actu, neque per interioris ſenſus corruptionem, neque per oblivionem ſcientiam ſemel acceptam amittere.

Quod vero de Salomone dicitur, debet intelligi, quod anteceſſerit ſapientia omnes ante ipſum. & poſt ipſum: vel omnes, qui ſtudio, ac labore ſcientiam ſibi comparaverint, in quorum numero Adam non fuit; vel omnes non quidem homines, ſed Reges, ac Principes, quod indicat ipſe Eccleſiaſtes 1. v. 16. *Præceſſi omnes ſapientia, qui fuerunt ante me in Jeruſalem.* Vel denique omnes, qui in præſenti ſtatu naturæ corruptæ fuerunt, & erunt.

XVII. An vero Adam in ſapientia excellentior quoque fuerit B. Virgine Maria, dum vitam hanc mortalem ageret?

Dico. Quoad ſupernaturalia certum eſſe B. Virginem ſcientia excelluiſſe omnes, etiam Adamum in ſtatu innocentiæ. Docet enim D. Thom. *3. p. q.* 27. *art.* 5. quod cum maxime appropinquaret Chriſto fonti gratiarum, qui ex ea accepit humanam naturam, debuit præ cæteris habere plenitudinem gratiæ. Et ad 3. dicit, *quod non eſt dubitandum; quin B. Virgo acceperit excellenter donum ſapientiæ, & gratiam virtutum, & etiam gratiam prophetiæ.*

Quantum vero ad ſapientiam, pro ut complectitur notitiam omnium rerum, non ſolum ſupernaturalium, ſed etiam naturalium, moralium, & civilium, nihil vetare, quin Adamus habuerit majorem. Quamvis enim B. Virgini tanta fuerit ſcientia infuſa, quanta ad perfectam Sacræ Scripturæ intelligentiam, & ad penetranda, explicanda, ac ſuadenda fidei myſteria, itemque ad vitam puriſſime inſtituendam, & tranſigendam, erat neceſſaria, vel expediens; quædam nihilominus ſunt, quæ ipſam ſcire nihil referebat, cujuſmodi ſunt illæ artes, quæ omnino ſunt virorum propriæ, ut ars militiæ, mercaturæ, lapidicidarum, itemque judicium de notitia, ad populorum gubernationem neceſſaria. Ita S. Antoninus *par.* 4. *tit.* 5. *c.* 20.

Quod ſi velimus, has etiam ad decorem animæ B. Virginis fuiſſe infuſas, dicemus, fuiſſe in illa quantum ad habitum, non quantum ad uſum. Eo modo, quo D. Th. 3. *p. q.* 26. *art.* 5. *ad* 3. citato loco docet, quod eſto omnia dona gratiarum acceperit, *non tamen accepit, ut haberet omnes uſus harum, & ſimilium gratiarum, ſicut habuit Chriſtus, ſed ſecundum quod conveniebat conditioni ipſius. Sapientiæ enim uſum habuit in contemplando, ſecundum illud Lucæ* 2. Maria autem conſervabat omnia verba hæc in corde ſuo. *Non autem habuit uſum ſapientiæ quantum ad docendum, quia hoc non conveniebat ſexui muliebri, ſecundum illud* 1. *ad Timoth.* 2. Docere autem mulieri non permitto. *Miraculorum autem uſus ſibi non competebat, dum viveret; quia tunc temporis confirmanda erat doctrina Chriſti miraculis: & ideo ſoli Chriſto, & ejus diſcipulis, qui erant bajuli doctrinæ Chriſti, conveniebat miracula facere. Propter quod etiam de Joanne Baptiſta dicitur Jo.* 10. *quod* ſignum fecit nullum, *ut ſcilicet omnes Chriſto intenderent. Uſum autem Prophetiæ habuit, ut patet in Cantico, quod fecit,* Magnificat anima mea Dominum, *Lucæ* 1.

§. II.

Reſolutio circa ſupernaturalia.

XVIII. DIco ſecundo. Primus homo in ſui conditione tantam habuit ſcientiam ſupernaturalium, quanta neceſſaria erat ad ſuæ, & aliorum vitæ ſpiritualis regimen ſecundum ſtatum illum. Ita S. Thom. hac *quæſt.* 94. *art.* 3. Primus enim homo ordinabatur ad vitam æternam, cæteroſque homines tamquam primus illorum parens debebat ad illam inſtruere, & præparare; oportebat ergo, ut de ſupernaturalibus tantam notitiam haberet, quanta requirebatur ad gubernationem vitæ ſpiritualis ſuæ, & aliorum. Si enim, quia debebat regere ſeipſum, & alios quoad vitam naturalem, & civilem, nihil ei defuit notitiæ ad hoc bene exequendum; multo magis debuit eſſe imbutus cognitione de pertinentibus ad finem ſupernaturalem, propter quem ipſe, & ejus Poſteri principalius conditi fuerunt.

XIX. His addo: quod cum primus homo (ut dicemus) formatus fuerit cum gratia, & juſtitia originali, habuit neceſſario fidem, quæ rerum ſupernaturalium cognitio eſt. Ut enim oſtendit D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 5. *art.* 1. cum gratia, quam accepit Adamus, nondum eſſet conſummata; neceſſe eſt dicere, quod *fuerit in eo inchoatio quædam ſperatæ beatitudinis, quæ quidem inchoatur in voluntate per ſpem, & charitatem, ſed in intellectu per fidem.* Quia vero ejus contemplatio altior erat, quam noſtra, per quam ad Deum magis accedens, plura de divinis effectibus cognoſcere poterat, quam nos poſſimus: ideo (ait D. Thom. citatus ad 1.) *non inerat ei fides, qua ita quæreretur Deus abſens, ſicut a nobis quæritur. Erat enim ei magis præſens per lumen ſapientiæ, quam ſit nobis; licet nec eſſet ei ita præſens, ſicut eſt Beatis per lumen gloriæ.*

Quamvis autem fides requirat obſcuritatem cognitionis, hæc bene poterat eſſe in illo ſtatu, non tamen ut in nobis, in quibus eſt per modum culpæ, vel pœnæ; ſed erat *quædam obſcuritas naturalis, ſecundum quod omnis creatura tenebra eſt comparata immenſitati divini luminis: & talis obſcuritas ſufficit ad fidei rationem.* Ita D. Thomas laudatus *ad ſecundum.* Qui ibi *ad tertium* addit, non obſtare, quod Apoſtolus *Rom.* 10. *v.* 17. dicat: *Fides eſt ex auditu.* Etenim *in ſtatu primæ conditionis non erat auditus ab homine exterius loquente, ſed a Deo interius inſpirante: ſicut & Prophetæ audiebant, ſecundum illud Pſ.* 84. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.

XX. Quare autem rerum ſupernaturalium cognitionem per fidem Adam habuerit, modo videndum eſt. Primo certum eſt, Adamum noviſſe præmium ſupernaturale viris juſtis, ac Deo ſancte ſervientibus, in Cælis eſſe repoſitum, ac proinde Deum Auctorem gratiæ, & Remuneratorem in ordine gloriæ, ac beatitudinis æternæ, dicente Paulo Hebr. 11. verſ. 6. *credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe Remunerator ſit.* Illa enim duo explicite credere omni tempore, & quoad omnes neceſſarium fuiſſe, docet D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 2. *art.* 8. *ad* 1. Hinc procul dubio noverat, ſe ob finem ſupernaturalem conditum, & eo ſeipſum, ac ſua referre debere. Inde noverat etiam omnia media ad illum conſequendum neceſſaria, gratiam gratum facientem, tres virtutes Theologales &c.

XXI. Secundo. Certum etiam eſſe debet, Adamum in ſtatu innocentiæ diſtincte noviſſimum myſterium Trinitatis. Id affirmat S. Epiphanius initio libri *adverſus Hæreſes*; D. Athan. *Orat. Contra Gentes num.* 2. *& leg. de Decretis Synodi Nicænæ n.* 5. & revera quidem conſentaneum non erat, primum hominem tot donis etiam ſupernaturalibus cumulatum, non edoceri myſterium Trinitatis. Tum quia inter omnia præcipuum; Tum quia in ipſius Adami formatione indicatum fuit his verbis: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, ut de Trinitate oſtendimus: & poſtea Adamum corripiens Deus ipſe dixit Geneſ. 3. v. 22. *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt.* Tum denique quia, ut ſtatim dicemus, Adamo revelatum fuit myſterium Incarnationis; hoc autem explicite credi non poteſt ſine fide Trinitatis, ut docet D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 2. *art.* 8. Hinc.

XXII. Tertio. Adamo revelata fuit Filii Dei Incarnatio, non tamen motivum proximum, nempe ſuum peccatum. Ita S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 2. *art.* 7. his verbis: *Ante ſtatum peccati homo habuit explicitam fidem de Chriſti Incarnatione, ſecundum quod ordinabatur ad conſummationem gloriæ, non autem ſecundum quod ordinabatur ad liberationem a peccato per Paſſionem, & Reſurrectionem: quia homo non fuit præſcius peccati futuri. Videtur autem Incarnationis Chriſti præſcius fuiſſe per hoc, quod dixit:* Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, *ut habetur Geneſ.* 2. *Et hoc Apoſtolus ad Epheſ.* 5. *dicit:* Sacramentum magnum eſſe in Chriſto, & in Eccleſia. *Quod quidem Sacramentum non eſt credibile, primum hominem ignoraſſe.* Quomodo autem potuit Adamo revelari myſterium Incarnationis, quin ei revelaretur peccatum ſuum, quod erat futurum principale motivum, oſtendunt Noſtrates in *Tract. de Incarnatione ex* D. Thom. 3. *part. quæſt.* 1. *art.* 3. *ad* 5. quia non eſt neceſſe, ut cui revelatur effectus, reveletur cauſa proxima, maxime ſi ſit voluntaria, & libera.

D U B I U M III.

An primus Homo creatus fuerit in gratia Sanctificante?

§. I.

Quod certum eſt præmittitur.

I. COnveniens eſt, ut poſtquam oſtendimus, quot donis fuerit primi hominis intellectus rectificatus in cognitione veri, tranſeamus ad demonſtranda dona, quibus rectificata fuit ejus voluntas in proſecutione boni. Inter hæc principem locum obtinet gratia ſanctificans, quæ hominem Deo gratum facit, & eſt radix cæterarum virtutum, principium merendi, & dat jus ad gloriam.

II. Concordant omnes Catholici, Adamum habuiſſe gratiam ſanctificantem ante ſuum lapſum: & hoc contra Pelagianos, qui exiſtimabant, Adamum in ſtatu innocentiæ caruiſſe gratia ſanctificante, ut patet ex *art.* 11. damnato in Synodo Palæſtina, ſeu Dioſpolitana anno 415. quem etiam refert S. Auguſt. *Epiſt.* 186. alias 106. *ad Paulinum cap.* 9 nimirum: *quod infantes nuper nati in illo ſtatu ſint, in quo Adam fuit ante prævaricationem.* Infantes autem recens natos, & nondum Baptiſmo regeneratos, deſtitutos eſſe gratia ſanctificante Pelagiani ipſi aſſerebant; quos propterea a Regno Cælorum excludebant, quod morientes ſine Baptiſmo non eſſent ſanctificati, & adoptati.

III. Contrarium tamen ſtatutum legimus tum in Concilio Arauſicano II. anno 529. cap. 15. *Ab eo, quod formavit Deus, mutatus ad Adam, ſed in pejus per iniquitatem ſuam:* ubi de mutatione a ſtatu gratiæ ad ſtatum peccati ſermo eſt. Tum in Tridentino ſeſſ. 5. in decreto de peccato originali Can. 1. *Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in Paradiſo fuiſſet tranſgreſſus, ſtatim ſanctificantem, & juſtitiam, in qua conſtitutus fuerat, amiſiſſe &c. Anathema ſit.*

IV. Quod igitur controvertitur eſt: an gratiam, & juſtitiam Adam acceperit in inſtanti ſuæ conditionis ſimul cum natura, ut diximus de Angelis; an vero poſtea a Deo donatus fuerit. Hanc ſecundum partem ſuſtinent S. Bonaventura in 2. *diſt.* 29. *art.* 2. *q.* 2. & Scotus in *eadem diſt. n.* 7. qui propterea ſeparant juſtitiam originalem a gratia ſanctificante, & dicitur, accepiſſe Adamum initio habitum quemdam, qui partem inferiorem ſuperiori ſubjiceret, nondum tamen gratiam illam, quæ filios, & amicos Dei conſtituit, quæque ad vitam æternam promerendam neceſſaria eſt. Prior tamen pars com-

communiter ſuſtinetur cum D. Thom. 1. *p. q.* 95. *art.* 1. 2. 2. *q.* 5. *art.* 1. In 2. *diſt.* 20. *q.* 2. *art.* 3. *diſt.* 29. *q.* 1. *art.* 2. & alibi.

§. II.

Noſtra reſolutio.

V. DIco primo. Primus homo in inſtanti ſuæ conditionis gratiam ſanctificantem accepit, non poſtea. Ita D. Thom. locis relatis, & probatur. Primo: quia hoc conſonat ſacris Litteris: nam Eccleſiaſt. 7. *v.* 30. dicitur: *Solummodo hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum*, ideſt bonum, ut exponunt Hieronymus in hoc caput, & Aug. *Serm.* 47. *de de diverſis, nunc ſerm.* 96. ea quidem bonitate, a qua decidit per peccatum: ſed per peccatum decidit a bonitate ſupernaturali, quæ eſt per gratiam; ergo in ea conditus fuit. Hoc idem indicat Apoſtolus *Epheſ.* 4. *v.* 24. dicens: *Induit novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate veritatis*; hoc quam in ſui creatione acceptam amiſit Adam peccando, ut indicat S. Auguſtinus *l.* 6. *de Geneſ. ad litt. cap.* 27.

VI. Favet quoque Arauſicanum II. tum loco ſuperius laudato, dicens: *Ab eo, quod formavit Deus, mutatus eſt Adam.* Tum Can. 19. *Natura humana etiamſi in illa integritate, in qua eſt condita, permaneret, nullo modo ſeipſam, Creatore ſuo non adjuvante, ſervaret . . . quomodo ſine gratia Dei poterit reparare quod perdidit?* Ubi ſermo eſt de integritate, non naturæ, ſud gratiæ; de hac etiam agebatur contra Pelagianos. Favet quoque Tridentinum loco ſupra citato illis verbis: *ſanctitatem atque juſtitiam, in qua conſtitutus fuerat, amiſiſſe.*

VII. Favent Patres. Hilarius apud D. Aug. lib. 2. contra Julian. cap. 8. *Tanta enim* (inquit) *& tam admirabilis in nos miſericordia Dei bonitas eſt, ut per quem in Ada offenſa generoſitatem primæ, & beatæ creationis amiſimus, per eum rurſum id, quod amiſimus, obtinere mereamur.* Ubi gratiam, quam per Diabolum amiſſam, obtinemus Dei miſericordia, vocat generoſitatem primæ, & beatæ creationis. Idem docet S. Auguſt. ipſe L. de correp. & gratia cap. 11. *Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem: in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum.* Si ergo Adam fecit in bona voluntate, eum fecit cum gratia. Idem *in Enchirid. cap.* 104. dicit, quod etiam primum hominem Deus *in ea ſalute, in qua conditus erat*, cuſtodire voluiſſet, ſi ad permanendum, ſicut factus erat, perpetuam voluntatem habiturum eſſe præſciſſet. Idem docet *lib.* 13. *de Civit. Dei cap.* 13. 14. *&* 15.

Favent etiam Nazianzenus *Orat.* 42. S. Proſper *lib. contra Collatorem cap.* 9. *alias* 18. Damaſcenus *l.* 2. *de Fide cap.* 12. & omnes, qui ſimilitudinem, ad quam *Gen.* 1. dicitur factus Adam, exponunt de ſimilitudine, quæ in gratia, & virtutibus ſita eſt.

VIII. Quamvis autem, ut recte advertit D. Thom. *in* 2. *diſt.* 29. *q.* 1. *art.* 2. non multum efficaces rationes ad hoc probandum habeamus, ſicut nec ad probandum *aliquid eorum, quæ ex voluntate Dei ſola dependent*; congruentiæ tamen non deſunt, quarum prima eſt. Homo in ea rectitudine fuit creatus, qua ratio ſubdebatur Deo, vires ſenſitivæ rationi, & corpus animæ; harum autem ſubjectionum prima erat cauſa ſecundæ, & tertiæ; ſed iſtæ duæ poſteriores non erant naturales, alioquin poſt peccatum manſiſſent, ſicut in Dæmonibus dona naturalia poſt peccatum remanſerunt; ergo cum effectus nequeat eſſe potior ſua cauſa, neceſſe eſt, ut etiam prior ſubjectio rationis ad Deum ineſſet ei per aliquod ſupernaturale donum; hoc autem eſt gratia juſtificans; ergo (concludit S. Thom. hac quæſt. 95. artic. 1.) *datur intelligi, ſi deferente gratia ſoluta eſt obedientia carnis ad animam, quod per gratiam in anima exiſtentem inferiora ei ſubdebantur*; & proinde homo in ea conditus fuit.

IX. Secunda congruentia eſt. Deus in aliarum creaturarum conditione dedit eis virtutem pertingendi ad fines, propter quos illas fecerat, puta arboribus ad ferendos fructus, & ſic de aliis: ſed hominem condidit præcipue propter beatitudinem ſupernaturalem tamquam finem; ergo cum condidit cum virtute, qua poſſet ad illam per media conari, & tandem pertingere; ergo cum gratia juſtificante, quæ eſt quaſi gloriæ ſemen, & dat jus ad beatitudinem, & eſt principium bonorum operum, quibus ad eam pervenitur.

Confirmatur. Angelis, quos ad ſupernaturalem beatitudinem ordinaverat, in eorum conditione gratiam contulit, ut Tractatu præcedente *q.* 7. *Dub.* 2. §. 2. vidimus; & docet S. Aug. *lib.* 12. *de Civit. Dei c.* 9. dicens, quod erat Deus *ſimul in eis condens naturam, & largiens gratiam*; ergo eadem ratione decuit, ut Adamo ſeu primo homini, quem Chryſoſtomus homil. 15. in Geneſ. *Angelum terreſtrem* appellat, dum conderet naturam, largiretur & gratiam.

X. Tertia eſt. Si Adam in gratia permanſiſſet, Poſteri ejus naſcituri erant in gratia: ſed non eſt credibile, quod iſti aliquam prærogativam in nativitate eſſent habituri, quam eorum Parens in ſui exordio non habuerit; ergo Adam habuit gratiam in ſui exordio. Unde D. Th. *in* 2. *diſt.* 20. *q.* 2. *art.* 3. dicit, quod, ſi primus homo in ſolis naturalibus conditus, per actus perſonales ſe ſe ad gratiam præparavit: *talis gratia proprietas perſonalis erat ex parte animæ, & ideo nullo modo transfuſa fuiſſet, niſi ſecundum aptitudinem tantum.*

XI. Quarta tandem. Si non dicamus, gratiam in primo inſtanti collatam fuiſſe Adamo, non poſſumus, niſi divinando, tempus ſtatuere, quo illam accepit: ſi enim non in primo, cur magis in hoc, quam in illo inſtanti? Cur quando in Paradiſum translatus eſt, non ante? An ante formationem mulieris ex eo, an poſt? Ergo melius eſt certum aſſignare tempus, & nullum aliud videtur congruentius, quam inſtans conditionis.

XII. Dico ſecundo. Probabile eſt, quod primus homo gratiam primo inſtanti acceperit per propriam diſpoſitionem. Ita S. Thom. *in* 2. *diſt.* 29. *q.* 1. *art.* 2. dicens: *Hoc tamen probabilius eſt, ut cum homo creatus fuit in naturalibus integris, quæ otioſa eſſe non poterant, quod in primo inſtanti creationis ad Deum converſus, gratiam conſecutus ſit.* Probatur exemplo Angelorum. Angeli in inſtanti creationis gratiam ſanctificantem acceperunt, ut probabilius, non ſolum Thomiſtæ, ſed & Scotiſtæ aſſerunt; & utrique admittunt, eam propria diſpoſitione aſſecutos fuiſſe, ut nos ſuperius diximus, & ex Scotiſtis Fraſſen *Tr.* 1. *de Angelis diſput.* 3. *artic.* 1. *quæſt.* 2. *&* 3. cur ergo non idem dici poterit de primo homine, quod ſtatim conditus ad Deum oculos mentis & cordis aperiens, luce divinæ gratiæ fuerit perfuſus? Si Angeli propria diſpoſitione gratiam acceperunt, quia hic erat nobilior modus, qui creaturam rationalem decebat, cur non item decebat in homine, qui erat creatura rationalis, & in ſuis operibus rectificata, quia talis, qualis a Deo exibat?

§. III.

Argumenta Scoti, & aliorum.

XIII. OPpones primo. Apoſtolus 1. *Cor.* 15. *v.* 45. diſtinguens Adam a Chriſto: *Factus eſt* (inquit) *primus homo Adam in animam viventem, noviſſimus Adam in ſpiritum vivificantem*: ſed vivificatio ſpiritus eſt per gratiam; ergo ſolius Chriſti eſt, quod ſit factus in gratia.

Reſpondeo, Apoſtolum ibi non loqui de primo, & ſecundo Adam quantum ad animam, ſed quantum ad corpus. Ita D. Thom. hac *q.* 95. *art.* 1. *ad* 1. his verbis: *Apoſtolus illa verba inducit ad oſtendendum eſſe corpus ſpirituale, ſicut corpus animale; quia vita ſpiritualis corporis incepit in Chriſto, qui eſt* primogenitus ex mortuis, *ſicut vita corporis animalis incepit in Adamo. Non ergo in verbis Apoſtoli habetur, quod Adam non fuit ſpiritualis ſecundum animam, ſed quod non fuit ſpiritualis ſecundum Corpus.* Unde de corpore, quod habuit Adam in ſui conditione, & de corpore, quod habuit Chriſtus in ſui Reſurrectione ſermo eſt: illud fuit animale, quia indigens cibis more cæterorum animalium: iſtud ſpirituale, quia more ſpirituum poterat abſque corporeis alimentis in æternum ſubſiſtere. Ita quoque S. Auguſt. *epiſt.* 205, *alias* 146. *ad Conſentium cap.* 2. & *l.* 13. *de Civit. Dei cap.* 23.

XVI. Oppones ſecundo Auguſt. *lib. Quæſt. vet. & novi Teſtam.* *q.* 123. dicere, quod Adam non habuit Spiritum Sanctum, & utitur teſtimonio Pauli mox relato: *factus eſt primus homo Adam in animam viventem &c.* inde infert: *Quid tam apertum, quam quod Adam non habuit Spiritum Sanctum?* ſed quicumque habet gratiam, habet Spiritum Sanctum; ergo Adam non fuit creatus in gratia.

Reſpondeo primo. Quod ſi Adam non habuit Spiritum Sanctum, & proinde nec gratiam; ergo nedum non fuit in gratia conditus, ſed illam nullo modo habuit, quod tamen nec Scotiſta, nec ullus Catholicus admittet; omnes enim fatentur, Adamum gratiam habuiſſe, quamvis non omnes aſſerant, eam habuiſſe in inſtanti ſuæ conditionis.

XV. Reſpndeo ergo ſecundo. Librum illum *Quæſtion. vet. & novi Teſt.* non ſolum non eſſe Auguſtini, cum diverſo ſtilo contineat Doctrinam Auguſtinianæ oppoſitam: ſed nec eſſe alicujus Auctoris Catholici, cum plura in hoc libro habeantur, quæ hæretica ſunt, aut erronea: ut *quæſt.* 2. quod Deus invidia Diaboli Mundum condiderit: *quæſt.* 21. *&* 45. mulierem non eſſe creatam ad imaginem Dei, quod eſt etiam contra Auguſtinum l. 3. de Geneſ. ad litt. cap. 22. quæſt. 109. Melchiſedech non hominem fuiſſe, ſed Spiritum Sanctum: *quæſt.* 79. 80. *&* 83. Pelagianam hæreſim ſapere videtur; & alia, quæ eruditiſſimi Patres Maurini Admonit. dicto libro præfixa obſervant. Qui propterea conjectant, librum illum potius eſſe fœtum Hilarii Sardi Diaconi ſecta Luciferiani, cui tribuuntur quoque commentaria in Epiſt. Pauli, olim ſub nomine S. Ambroſii evulgata. Cujuſcumque tamen opus ſit, nullius certe auctoritatis eſſe debet.

XVI. Reſpondeo tertio. Quod ſi nolimus hanc cauſam diſcutere, dici poterit cum S. Thoma *hoc artic.* 1. *ad* 2. quod ut dicitur *in eodem libro, non negatur, quin aliquo modo fuerit in Adam Spiritus Sanctus, ſicut, & in aliis juſtis; ſed quod non ſic fuerit in eo, ſicut nunc eſt in fidelibus, qui admittuntur ad perceptionem hæreditatis æternæ ſtatim poſt mortem.* Sed tutius eſt illius libri auctoritatem reſpuere.

XVII. Sed dices. Auguſtini certe ſunt libri de Libero arbitrio: & tamen *lib.* 3. *cap.* 24. aperte dicit, Adamum nec ſtultum, nec ſapientem eſſe conditum.

Reſpondeo, hoc verum eſſe: ſed hæc, & alia ſimilia, quæ ex *lib.* 2. *de Geneſ. contra Manich. cap.* 8. ex *lib.* 11. *de Geneſ. ad litt. cap. ultimo*, & ex *lib.* 1. *contra Adverſ. legis cap.* 14. poſſunt opponi, omnia rettactavit, aut explicavit, aut moderatus eſt tum alibi; tum *l.* 1. *Retract. cap.* 9. 10. *&* 14. *& lib.* 2. *c.* 24. Quibus in locis proteſtatur, ſe, dum ageret contra Manichæos, unice intentum fuiſſe impietati eorum confundendæ, qui originem mali ex libero creato arbitrio duci negabant, & Deum omnium naturarum Creatorem culpandum eſſe contendebant, volentes immutabilem quamdam & Deo coæternam introducere mali naturam. Cæterum ſi incidentes nonnullas quæſtiones, vel enodare non poterat; vel longam ſermocinationem requirebant; nec adhuc apparebat, quid potius congrueret veritati proteſtatur ingenue, ad hoc ſermocinationem

ſuam reſpexiſſe; ut quodlibet eorum verum eſſet, laudandus crederetur; vel etiam oſtenderetur Deus. Ita præſertim *l.* 1. *Retract. c.* 9. ubi ea, quæ in libris de Lib. arbitr. ſcripſerat, recenſet. Quare non eſt, cur quis argumentum trahat ex eo, quod ibi incidenter dixerit, Adam nec ſtultum, nec ſapientem fuiſſe ex ſua natura; ſed ſolum concludere ex eo debet, Adam non fuiſſe natura ſua malum, ut Manichæi contendebant.

XVIII. Replicabis. Idem Auguſt. *l. de Correpț. & grat. cap.* 10. ait: quod *Deus ſic ordinavit Angelorum, & hominum vitam, ut prius in eis oſtenderet, quid poſſet eorum liberum arbitrium; deinde quid eſſet ſuæ gratiæ beneficium, juſtitiæque judicium.* Primo ergo condidit hominem, & Angelum in ſola naturali arbitrii libertate, & poſtmodum ei gratiam contulit.

Reſpondeo primo. Quod ſi ex his Auguſtini verbis colligitur, hominem in ſolis naturalibus conditum fuiſſe, hoc idem colligi debebit de Angelis, quod tamen Scotiſtæ non admittunt. Deinde, quod ſicut qui lapſi ſunt, proprio arbitrio lapſi ſunt; ita & qui ſteterunt, & Adam ſi ſtetiſſet, proprio arbitrio ſine gratia ſtetiſſe, aut ſtare potuiſſe, quæ eſt hæreſis Pelagiana.

XIX. Reſpondeo igitur ſecundo cum D. Th. hoc art. 1. ad 3. *quod ex illa auctoritate Auguſtini non habetur, quod Angelus, vel homo prius fuerit creatus in naturali libertate arbitrii, quam habuiſſet gratiam: ſed quod oſtendit, quid in eis poſſet liberum arbitrium ante confirmationem: & quid poſtmodum conſecuti eſſent per auxilium gratiæ confirmatis.* Cum ergo ſecundum Auguſt. Angeli ſint creati in gratia (eſto non ſtatim confirmati) ut ait l. 12. de Civit. Dei cap. 9. *erat ſimul in eis condens naturam, & largiens gratiam*, & eodem modo loquatur de homine; ſequitur de mente S. D. eſſe, quod etiam homo in ea conditus fuerit.

XX. Oppones tertio. Natura plus diſtat a gratia, quam gratia a gloria, quæ nihil aliud eſt, quam gratia conſummata: ſed in homine gratia præceſſit gloriam; ergo multo magis natura præceſſit gratiam.

Hoc argumentum, cui confidunt Scotiſtæ, evidentem patitur Inſtantiam in Angelis, in quibus gratia præceſſit gloriam, & tamen natura non præceſſit gratiam; cum juxta Scotiſtas gratiam in primo inſtanti habuerint. Reſpondetur ergo cum D. Thoma hoc art. 1. ad 6. & in 2. diſt. 29. quæſt. 1. artic. 2. ad 3. *Quod per gratiam aliquis meretur gloriam: & ideo convenienter gratia tempore gloriam præcedit. Sed per naturam non meretur gratiam: unde nihil impedit, ut ſimul cum natura gratia infundatur.* Eſto autem in primo homine natura non præceſſerit tempore gratiam, eam tamen præceſſit præcedentia naturæ; quia, ut diximus, natura hominis in primo inſtanti, quo creata fuit, per auxilium gratiæ moventis converſa in Deum, in eodem inſtanti gratiam juſtificantem accepit. Ut enim docet D. Thom. hoc art. 1. ad 5. *Cum motus voluntatis non ſit continuus, nihil prohibet, etiam in primo inſtanti ſuæ creationis, primum hominem gratiæ conſenſiſſe.* Ex quo apparuit etiam, gratiam donum Dei eſſe.

DUBIUM IV.

An primus Homo fuerit conditus in Juſtitia Originali?

§. I.

Quid ſit Juſtitia Originalis.

I. NON ſumitur hic juſtitia, ut eſt una ex cardinalibus virtutibus, ſed quatenus ſignificat rectum ordinem alicujus totius, & omnium potentiarum ejus, quarum unaquæque in ſuo ordine contineatur: ita ut recte ſe habeat, tam in ordine ad alias, quam in ordine ad ſuos actus. Quæ propterea dicitur originalis, eo quod primi Parentes eam cum origine acceperint, eamdemque ad Poſteros tranſmiſiſſent, non quidem vigore generationis, ſed Deo in ſingulorum origine eam infundente, ſi non peccaſſent. Hujus ergo juſtitiæ originalis tres præcipui erant effectus. Primus, ac præcipuus, quod anima, ejuſque potentiæ rationales continerentur in perfecta, & totali ſubjectione, & obedientia Deo Auctori, nedum naturali, ſed & ſupernaturali. Secundus, ut potentiæ inferiores ſenſitivæ continerentur in debita ſubjectione, & obedientia rationi; ita ut illi in nullo repugnarent. Tertius, ut corpus totaliter ſubjiceretur, & obediret animæ. Hoc expreſſe docuit D. Thomas hac *quæſt.* 95. *artic.* 1. ubi, loquens de juſtitia primi hominis, ait: *Erat rectitudo ſecundo ſecundum hoc, quod ratio ſubdebatur Deo, rationi vero inferiores vires, & animæ corpus. Prima autem ſubjectio erat cauſa, & ſecundæ, & tertiæ.* Quod repetit 4. *cont. Gent. capit.* 52. & alibi. Ut ante docuerat S. Auguſt. *lib.* 2. *de Peccatorum merit. capit.* 33. ubi, deſcribens juſtitiam primi hominis in Paradiſo, & juſtitiam poſt lapſum, ait; *Cum itaque primorum illorum hominum fuerit prima juſtitia obedire Deo, & hanc in membris adverſus legem mentis ſuæ legem concupiſcentiæ non habere: nunc poſt eorum peccatum, nata ex eis noſtra carne peccati, pro magno obtinentur ab his, qui obediunt Deo, deſideriis ejuſdem concupiſcentiæ non obedire.*

II. His pro certo ſuppoſitis, in controverſia eſt: an juſtitia hæc originalis eſſet habitus mere naturalis, an ſupernaturalis; & quatenus ſit ſupernaturalis, an ſit donum realiter a gratia ſanctificante diſtinctum.

Circa primum cenſet Henricus, juſtitiam originalem fuiſſe naturalem homini, putat enim humanam naturam ex naturalibus ſibi vindicare, quod ſit recta, & quod habeat appetitum rationi ſubjectum, & rationem Deo, ut Auctori naturali; quodque rebellio appetitus rationi ſit effectus, & pœna peccati; ac propterea homo in naturalibus, & ratione recta perſeverans, ea caruiſſet. Attamen communis ſententia obſtat. Unde.

§. II.

An Juſtitia Originalis fuerit donum ſupernaturale?

III. DIco primo. Juſtitia originalis collata primis Parentibus fuit donum ſupernaturale. Ita D. Thom. *hac quæſt.* 95. *art.* 1. cujus ratione probatur ſic. Præcipuus juſtitiæ originalis effectus erat perfecte ſubjicere rationem Deo, ex qua naſcebatur ſubjectio virium inferiorum rationi, & corporis animæ: ſed ſubjectio corporis ad animam, & virium inferiorum ad rationem non erat naturalis, ſeu naturæ debita, alias manſiſſet poſt peccatum, cum etiam in Dæmonibus naturalia poſt peccatum manſerint; ergo *& illa prima ſubjectio, qua ratio Deo ſubdebatur, non erat ſolum ſecundum naturam, ſed ſecundum ſupernaturale donum gratiæ: non enim poteſt eſſe, quod effectus ſit potior, quam cauſa.* Ita S. Thomas. Quod confirmat ex Auguſt. *lib.* 13. *de Civit. Dei cap.* 13. dicente: *Poſteaquam præcepti facta tranſgreſſio eſt, confeſtim gratia deſerente divina, de corporum ſuorum nuditate confuſi ſunt .... Senſerunt ergo novum motum inobedientis carnis ſuæ, tamquam reciprocam pœnam inobedientiæ ſuæ.* Si ergo deſerente gratia divina cœperunt carnis inobedientis motus ſentire; igitur gratia divina, non natura, erat, quæ prius illos continebat.

IV. Secundo prob. Si rectitudo originalis eſſet ex natura hominis, jam eſſet ex ſe determinata ad bonum rationis, & non amplius libera ad ſe conformandum illi, vel non ſe conformandum; quod eſt contra illud Eccleſiaſtici 15. v. 24. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit eum in manu conſilii ſui &c.* & Auguſtini de Correpț. & grat. cap. 10. *Deus ſic ordinavit Angelorum, & hominum vitam, ut prius in eis oſtenderet, quid poſſet eorum liberum arbitrium.*

Confirmatur. Si rectitudo illa fuiſſet homini naturalis, æqualiter fuiſſet in homine in puris naturalibus conſtituto: hoc autem falſum eſſe, oſtendemus, dum de ſtatu puræ naturæ agemus. Et probatur. Nam omni appetitui naturale eſt ferri in ſuum objectum ſumme, & quantum poteſt; maxime ſi ſit naturalis, non liber: cum ergo appetitus ſenſitivus hominis, in puris naturalibus conditi, naturaliter tenderet in ſuum objectum delectabile, & toto conatu ad illud niteretur, certe actum rationis impediret, eique reluctaretur.

V. Sed dices primo. Mortalitas, & rebellio partis ſenſitivæ contra rationem ſunt effectus, & pœnæ peccati; ergo ſi natura in puris, & integris naturalibus conſiſteret, rebellione careret; ergo non eſt ponendum propter hoc donum ſupernaturale.

Confirmatur. Homo propter peccatum Adæ non ſolum donis gratuitis ſpoliatus eſt, ſed etiam in naturalibus vulneratus; ergo non bene dicebamus cum D. Thom. quod ſi juſtitia originalis eſſet naturalis, manſiſſet etiam poſt peccatum.

VI. Reſpondeo primo, diſt. ant. ſunt effectus, & pœna peccati, de facto, conc. ant. abſolute, & ſpectata natura ſecundum ſe præciſe, neg. ant. Suppoſita ergo collatione ſupernaturalis doni, per quod mortalitas, & rebellio excluderentur, quo dono privatus fuit homo propter peccatum, hujuſmodi privatio de facto evaſit pœna. At conſiderata natura hominis præciſe a tali dono, ſubjici morti, & pati rebellionem, conditio naturæ fuiſſet, non pœna. Quemadmodum ſi homo plebejus ad ſtatum nobilem ſublimetur, deinde ob demerita ad plebejum ſtatum iterum detrudatur; huic evadet pœna id, quod alioquin, præciſa tali elevatione, propria conditio foret.

Ad confirm. eodem modo reſpondeo, hominem per peccatum dici vulneratum etiam in naturalibus, non relata ad naturam ſecundum ſe ſpectatam; ſed relate ad eam, ut de facto condita a Deo fuit, nimirum cum juſtitia originali habente vim rectificandi omnia, etiam naturalia, in ordine ad omne bonum, etiam connaturale homini. Qua juſtitia ob peccatum amiſſa, illa quoque perfectio periit, qua potentiæ naturales in ordine ad ſua objecta pollebant. Et hoc eſt eſſe in naturalibus vulneratum. Quamvis autem in aliquo pares eſſent homo in puris naturalibus conditus, & homo lapſus, quia uterque præfata careret rectitudine naturali; diſcriminantur tamen: quia homo in Adamo lapſus ea caret in pœnam tamquam reus, & in eo eſt vera privatio; eſtque ſicut homo antea veſtitus, deinde ſpoliatus. At homo in puris naturalibus ea careret ex conditione naturæ, & talis carentia eſſet ei mera negatio; ſicut nudus, qui nunquam fuit veſtitus, & ſicut plebejus, qui ſemper plebejus fuiſſet. Ita probabiliter.

VII. Attamen etiam probabiliter reſpondeo ſecundo, primum hominem fuiſſe per peccatum, & ſpoliatum, & nudatum, & etiam vulneratum: ſpoliatum quidem gratuitis, vulneratum autem in naturalibus. Unde homo, qui in puris naturalibus eſſet conditus, differret ab homine, qui nunc ex Adamo naſcitur, ſicut nudus differt a nudato ſimul, & ſauciato. Certum enim eſt, quod naturalia hominis ſunt per peccatum valde vitiata, & debilitata, & in malum proniora, quam fuiſſent in homine in puris naturalibus conſtituto. Unde S. Thom. 1. 2. *q.* 85. *art.* 3. recenſet quatuor vulnera naturæ, quibus, & alia adjungit articulis ſequentibus. Et huc pertinet, quod Lucæ 10. refertur de homine deſcendente ab Jeruſalem in Jericho, qui non tantum fuit a latronibus ſpoliatus, ſed etiam vulneratus, & plagis impoſitis ſemivivus relictus. Unde Aug. ſerm. 2. *de verb. Apoſtoli* modo ſerm. 132. cap. 6.

In mortem (inquit) *lapſus eſt, infirmus factus eſt, a latronibus ſemivivus in via relictus eſt*. Et Ambr. l. 7. in cap. 10. Lucæ. *Qui ſunt* (inquit) *iſti latrones, niſi Angeli noctis & tenebrarum? Hi autem deſpoliant, quæ accepimus indumenta gratiæ ſpiritualis, & ſic vulnera inferre conſueverunt. Cave ergo, ne ante nuderis, ſicut Adam ante nudatus eſt mandati Cælestis cuſtodia deſtitutus; & exutus fidei veſtimento, & ſic lethale vulnus accepit*. Sed de his forte inferius.

VIII. Dices ſecundo. Voluntas in puris naturalibus eſt recta: curvitas enim non videtur pertinere ad naturam ejus, alias refunderetur in Deum, qui eſt illius Auctor; ergo ſi conderetur abſque ullo ſupernaturali, haberet rectitudinem originalem.

IX. Reſpondeo primo, diſt. ant. eſt recta rectitudine excludente peccatum, omitto ant. rectitudine excludente rebellionem appetitus, & mortalitatem, nego ant. & ſimiliter diſt. conſequens. Dato enim voluntatem humanam ex ſuis naturalibus, ſecundum quæ a Deo eſt, eſſe rectam, & non curvam ad malum morale; hoc enim habet ex quo eſt ex nihilo, & libertate defectuoſa: non tamen eſt recta per excluſionem rebellionis, & pugnæ appetitus contra ipſam; hoc enim eſt malum phyſicum ex conditione ſuæ naturæ illi conveniens.

X. Reſpondeo ſecundo, diſt. aliter ant. voluntas naturalis, conc. ant. voluntas libera, & moralis, neg. antec. Reſponſio eſt D. Th. *q. 2. de Malo art. 3. ad 2.* dicentis: *Voluntas ſecundum ſuam naturam eſt bona, unde & actus ejus naturalis ſemper eſt bonus. Et dico actum naturalem voluntatis, prout homo vult felicitatem naturaliter, eſſe, vivere, & beatitudinem. Si autem loquamur de bono morali, ſic voluntas ſecundum ſe conſiderata, nec eſt bona, nec mala; ſed ſe habens in potentia ad bonum, & malum.*

XI. Neque dicas, præſertim contra primam reſponſionem, hinc ſequi concupiſcentiam eſſe homini naturalem, & conſequenter etiam a Deo.

Etenim dico, quod naturale dupliciter dicitur. Uno modo, quod ex naturæ principiis natum eſt ſequi: & ſic homini, ſecundum ſolam naturam conſiderato, concupiſcentia quodammodo eſt naturalis; quia in natura ſufficiens principium eſt concupiſcendi, ratione partis inferioris. Unde D. Thomas *quæſt. 25. de Verit. art. 7. in corp.* ait: *Quod enim homini in primo ſtatu collatum fuit, ut ratio totaliter inferiores vires contineret, & anima corpus; non fuit ex virtute principiorum naturalium, ſed ex virtute originalis juſtitiæ, ex divina liberalitate ſuperaddita. Qua quidem juſtitia per peccatum ſublata, homo rediit ad ſtatum convenientem ſibi per principia ſua naturalia . . . ſicut ergo naturaliter homo moritur, nec ad immortalitatem reduci poteſt, niſi miraculoſe; ita naturaliter concupiſcibilis tendit in delectabile, & iraſcibilis in arduum præter ordinem rationis*. Et in reſponſ. ad 5. *Hujuſmodi* (inquit) *corruptio quamvis ſit contra ſtatum naturæ primitus inſtitutæ: eſt tamen conſequens principia naturæ ſibi relictæ*. His conſentiens Bellarminus *lib. de Gratia primi hominis c. 7.* affirmat, concupiſcentiam futuram ſine dubio naturalem in puris naturalibus; non quidem ut bonum, ſed ut defectum naturæ, ac morbum ex conditione materiæ conſequentem.

XII. Neque tamen dicendum abſolute eſt, quod concupiſcentia ſit a Deo. Primo. Quia non eſt ſecundum conditionem naturæ primitus ab eo inſtitutæ, ſed ex defectu naturæ de[...]rantis ab eo ſtatu, in quo Deus eam condiderat. Se[cundo]. Quia facultas quidem, ſeu potentia concupiſcibilis a Deo Auctore naturæ eſt: at, quod ea, etiam in puris naturalibus conſtituta, ferretur in delectabilia præter ordinem rationis, eſſet morbus, vel naturæ defectus, quem Deus non cauſaret, neque vellet, quamquam non impediret, cuique homo deberet reſiſtere.

XIII. Alio modo naturale dici poteſt id, quod vel eſt bonum naturæ, vel ex intentione Auctoris naturæ: & ſic concupiſcentia non eſt naturalis, ſed contra naturam, cui naturale eſt ſequi rationem, & ei omnia ſubjicere. Unde ſi homo fuiſſet conditus in ſtatu pure naturali, fuiſſet conſtitutus cum aliqua rectitudine partium inferiorum ad ſuperiores, & ad Deum; naturale enim eſt inferiora a ſuperioribus regi. Unde S. Th. 1. 2. *q. 82. art. 3. ad 1.* docet, quod *in homine concupiſcibilis naturaliter regitur ratione*; quod *concupiſcere eſt homini naturale, in quantum eſt ſecundum rationis ordinem: concupiſcentia autem, quæ tranſcendit limites rationis, ineſt homini contra naturam*. Quia tamen homo in puris naturalibus conditus non habuiſſet gratiam; & talis rectitudo non poteſt eſſe firma ſine gratia, ut tradit idem S. Doct. *q. 5. de Malo art. 8. ad 13.* ideo concedendum eſt, quod in illo ſtatu non defuiſſent motus concupiſcentiæ, mali quidem, & pudendi, quatenus eſſent contra rationem, & ad peccatum inclinarent; eorum tamen malitia in Deum referenda non eſſet, qui hominem in aliqua rectitudine conſtituiſſet, quamvis pronum ad errores, voluptates, & oblectamenta ſenſuum.

§. III.

An Juſtitia Originalis eſſet diſtincta a gratia ſanctificante?

XIV. LOquor de juſtitia originali, quæ de facto fuit in Adamo elevato ad ordinem ſupernaturalem. Nam de juſtitia originali, in qua condi homo potuiſſet, ſi vel in puris naturalibus, vel ſine gratia formatus fuiſſet; nimirum de quadam rectitudine, ſeu juſtitia naturali, qua abſque gratia gratum faciente eſſet rectus, haberetque omnes partes, ſeu potentias, ſaltem ad aliquod tempus, bene ordinatas, dubium non eſt, quin a gratia eſſet diſtincta, immo ſeparata.

Scotiſtæ, immo & Thomiſtarum aliqui cenſent, juſtitiam originalem fuiſſe donum a gratia ſanctificante diſtinctum, immo plura dona animam, & potentias rectificantia. Alii etiam ex noſtris volunt, juſtitiam originalem fuiſſe ipſam gratiam ſanctificantem cum ſpeciali vigore.

XV. Circa quod noto, juſtitiam originalem poſſe ſumi dupliciter. Vel adæquate, ut includebat omnes eas perfectiones, quæ Adamo (& Poſteris ejus, ſi permanſiſſet) collatæ fuerunt, quarum aliquæ animam, aliæ potentias ejus rectificabant; Vel inadæquate, pro ea dumtaxat perfectione, quæ erat primaria, principalis, & radix, ſeu origo cæterarum. Hoc notato.

XVI. Dico primo. Juſtitia originalis, adæquate ſumpta, non erat unus ſimplex habitus, ſed plurium donorum, vel habituum aggregatio reſidentium partim in anima, partim in potentiis ejus. Hæc aſſertio manifeſta eſt, & ſi hoc intendant Contrarii, non diſſentimus. Etenim unus, & idem habitus non poteſt tam diverſas inter ſe animi, corporiſque facultates regere, aut in ſubjectis tam diverſis reſidere; ergo ſi juſtitia originalis adæquate ſumatur, plures habitus includebat.

XVII. Dico ſecundo. Juſtitia originalis inadæquate, & ſecundum effectum formalem primarium, quem ponebat in anima, & quo erat origo, & radix cæterorum, erat unus realiter habitus, nempe gratia ſanctificans; quæ licet eſſet ejuſdem ſpeciei cum noſtra, ex diverſo tamen modo informandi ab eo, quem habet nunc, erat origo multarum perfectionum, quæ modo ex ea non pullulant. Hanc judico eſſe mentem D. Thomæ. Nam hic *1. p. q. 95. art. 1.* ubi inter effectus juſtitiæ originalis, primum, & erat cauſa cæterorum, ponit ſubjectionem animæ, ſeu rationis ad Deum *ſecundum ſupernaturale donum gratiæ*: & referens Auguſtinum *13. de Civit. Dei* dicentem, quod primi Parentes, *gratia deſerente Divina*, poſt peccatum ſtatim rebellionem carnis experti ſunt; concludit: *ex quo datur intelligi, ſi deſerente gratia, ſoluta eſt obedientia carnis ad animam, quod per gratiam in anima exiſtentem inferiora ei ſubdebantur*: porro gratia in anima exiſtens eſt gratia gratum faciens: Et *qu. 100. art. 1. ad 2.* ex quo gratia gratum faciens ſit radix originalis juſtitiæ, probat, quod in ſtatu innocentiæ homines, ſi nati fuiſſent in juſtitia originali, nati quoque fuiſſent in gratia. En verba S. D. *Sed cum radix originalis juſtitiæ, in cujus rectitudine factus eſt homo, conſiſtat in ſubjectione ſupernaturali rationis ad Deum, quæ eſt per gratiam gratum facientem, ut ſupra dictum eſt* (quæſt. 95. art. 1.) *neceſſe eſt dicere, quod ſi pueri nati fuiſſent in originali juſtitia, etiam nati fuiſſent cum gratia*. Hæc autem illatio bona non fuiſſet, ſi juſtitia originalis fuiſſet habitus a gratia ſanctificante realiter diſtinctus; potuiſſet enim ab illa ſeparari.

XVIII. Deinde 1. 2. *quæſt. 83. art. 2. ad 2.* oſtendit quod ſicut peccatum originale, quia traducitur cum natura, per prius eſt in eſſentia animæ; ita juſtitia originalis; quia erit donum datum naturæ. *Etiam*, inquit, *originalis juſtitia pertinebat primordialiter ad eſſentiam animæ. Erat enim donum divinitus datum humanæ naturæ, quam per prius reſpicit eſſentia animæ, quam potentiæ. Potentiæ enim magis videntur pertinere ad perſonam, in quantum ſunt principia perſonalium actuum: unde ſunt propria ſubjecta peccatorum actualium, quæ ſunt peccata perſonalia*. Atqui ſola gratia ſanctificans reſidet in eſſentia animæ: virtutes vero, habitus infuſi, & alia dona ſunt in ejus potentiis, ut tradunt Theologi *in Tract. de Gratia*, & docet D. Th. 1. 2. *quæſt. 110. art. 4.* ergo juſtitia originalis quantum ad primarium illius effectum, qui erat radix, & origo cæterorum, non erat aliqua virtus, donum, vel habitus a gratia ſanctificante diſtinctus.

XIX. Adeſſe poteſt etiam ratio. Nam gratia gratum faciens eſt formalis participatio divinæ naturæ, & quaſi natura in ordine ſupernaturali radicans in creatura intellectuali omnes habitus, ac virtutes in tali ordine; ergo ſicut in Deo omnium, quæ eſſentialiter illi conveniunt, radix, & primum principium eſt natura divina; ita omnium, quæ in ordine ad finem ſupernaturalem creaturæ rationali participate communicantur, radix, & principium erit gratia ſanctificans. Unde ex primo ejus effectu, qui eſt animam ſubdere, & conjungere Deo, originantur omnes alii effectus, nempe ſubjectio appetitus rationi, & corporis animæ.

XX. Secunda vero pars, quod nimirum ejuſmodi effectus provenirent quidem a gratia, non præciſe ſecundum ſuam ſpeciem ſumpta, ſed ratione alicujus modi ſpecialis, quo in illo ſtatu animam informabat, patet. Nam in Adamo per pœnitentiam recuperata fuit gratia, & in omnibus Juſtis gratia eſt ſecundum ſuam ſpeciem; & tamen nec in Adamo poſt pœnitentiam radicavit, neque in Juſtis modo radicat ea dona, quæ juſtitiam originalem conſtituebant.

Quemadmodum igitur eadem gratia ſpecie eſt in Juſto viatore: & in Beato erit poſt Reſurrectionem: & tamen in iſto ab eo redundabunt dotes in corpus, quæ in illo non redundant; & hoc ex pleniſſimo dominio, quod habebit ſupra animam, a quo redundabunt dotes in corpus: ita proportionaliter in ſtatu innocentiæ ratione dominii, quo ſibi perfecte ſubjeciſſet mentem, radicaſſet ſubjectionem perfectam appetitus rationi, & corporis animæ, quibus omnibus donum juſtitiæ originalis integrabatur.

Nec mirum, quod gratia invariata ſecundum ſpeciem, ratione diverſi modi, fiat potens radicare diverſos effectus in uno, quos non radicat in altero. Quod patet in gratia Chriſti,

quæ cum ſit gratia Capitis, influit gratiam in nos, & in gratia ſacramentali, quæ tribuit diverſos effectus, quod gratia ſecundum ſe non præſtat. Et hoc eſt quod ait D. Thomas *in 2. diſt. 32. q. 1. a. 2. ad 2.* quod *excludere hujuſmodi pœnalitates non eſt effectus juſtitiæ, quantum juſtitia eſt: ſed fuit effectus originalis juſtitiæ ratione cujuſdam accidentis ſibi annexi, in quantum ſcilicet fuit continuata, & non interciſa in natura humana: decuit enim, ut ſicut anima ſine interruptione in Deum dirigebatur per juſtitiam: ita etiam corpus animæ ſine interruptione totaliter obediret: & ideo non oportet, quod ille effectus gratuitæ juſtitiæ conveniat, cum facta fuerit interruptio rectitudinis humanæ naturæ ad Deum.*

XXI. Qua doctrina prævenitur principale contrariæ ſententiæ fundamentum, nempe, quod ſi juſtitia originalis eſſet indiſtinctum donum a gratia habituali, ſequeretur, quod cum Adamo per pœnitentiam reſtituta fuerit gratia habitualis, reſtituta quoque ei fuiſſet juſtitia originalis; ſicut & nobis in Baptiſmo conferretur cum gratia juſtitia originalis.

Reſp. enim, quod eſſe juſtitiam originalem non conveniebat juſtitiæ, ſeu gratiæ, in quantum juſtitia, ſeu gratia eſt, ſed ratione cujuſdam accidentis annexi; quia ſcilicet continuata, & non interrupta in natura humana, ratione cujus, ſicut anima ſine interruptione obediebat Deo, ita partes inferiores ſine interruptione obediebant animæ, & rationi. Verum gratia, quæ Adamo per pœnitentiam reſtituta fuit, & quæ datur nobis in Baptiſmo, eſt gratia in humana natura diſcontinuata, & interciſa per peccatum Adæ; unde non datur cum pleno dominio ſupra animam, ſeu cum vigore ſubjicienti perfecte corpus animæ, & appetitum rationi; ideoque eſt quidem dem eadem ſpecie juſtitia, ſed non qualis in origine fuit.

XXII. Sed objicies primo. Non poteſt idem habitus per ſe primo reſpicere naturam, & perſonam: ſed juſtitia originalis per ſe primo reſpiciebat naturam, erat enim bona diſpoſitio naturæ, ut a primo capite per generationem propagandæ: gratia vero ſanctificans per ſe primo reſpicit perſonam, quam ſanctificat; ergo &c.

Reſpondeo, omiſſa maj. nego min. Gratia enim primi hominis cum eſſet Gratia Capitis totius generis humani, & transfundenda cum natura in Poſteros, ſi in ea permanſiſſet; non ſolum reſpiciebat perſonam, cui erat principium merendi, ſed etiam naturam, & erat gratiæ naturæ, ſicut in ſcientia contraria habitus juſtitiæ originalis non ſolum reſpiciebat perſonam, quam juſtam, rectamque faciebat, ſed etiam naturam; quia cum natura transfundenda erat, ut pote originalis: & ſicut gratia Chriſti, quia gratia Capitis, nedum Chriſti animam, cui erat connaturale merendi principium, reſpiciebat, & adhuc reſpicit, ſed dat poteſtatem filios Dei fieri hominibus, *qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt* (Joann. 1. v. 13.) Quomodo autem cum natura transfuſa fuiſſet gratia, dicemus infra.

XXIII. Objicies ſecundo ex Scoto. Juſtitia originalis ſe habet ad gratiam, quæ eſt principium merendi, ſicut excedens ad exceſſum; nam firmius conjungebat voluntatem ultimo fini, quam gratia; & ita, ut ſecum non pateretur aliquod peccatum adhuc veniale: ſubigebat adeo inferiores vires, ut ab eis nullam pateretur reſiſtentiam; ergo &c.

Confirmatur. Gratia perficit hominem ſolum in ordine ad finem ſupernaturalem; juſtitia autem originalis perficiebat etiam in ordine ad finem naturalem; unde poterat dari etiam in homine conſtituto in puris naturalibus; ergo eſt donum diverſum a gratia.

XXIV. Reſpondeo, negando conſeq. Solum enim ſequitur, gratiam prout erat quoque juſtitia originalis, habuiſſe diverſum, ac firmiorem ſtatum, eo modo, quo dicitur de gratia conſummata; & habuiſſe plenius dominium ſupra corpus, & ſupra vires inferiores, ut nuper dicebamus; non autem quod fuerit habitus eſſentialiter diverſus.

Ad confirmationem fateor, poſſe dari juſtitiam originalem mere naturalem, qualis potuiſſet eſſe, ſi homo in integritate mere naturali conditus fuiſſet. Verum quia jam dictum eſt, juſtitiam originalem, quæ de facto fuit collata Adamo, non fuiſſe mere naturalem, ſed ſubjicientem rationem Deo ut Auctori ſupernaturali; nego hanc potuiſſe a gratia ſeparari: immo dico, eſſe eamdemmet gratiam, quæ, cum perfecte dominaretur rationi, & inferioribus viribus, eas ad finem ſupernaturalem, & conſequenter etiam ad naturalem, immobiliter ordinaſſet.

§. IV.

Effectus, & dona ex Gratia Originali procedentia.

XXV. EX dictis apparet, quod gratia, ſeu juſtitia originalis quamvis ſecundum primarium ſuum effectum reſideret in eſſentia animæ, eam firmiter cum Deo conjungendo, eique ſubjiciendo; ex hoc tamen refundebantur in ejus potentias plures alii habitus, & dona eas rectificantia. Modo examinare placet, quænam iſta fuiſſent.

XXVI. Primo ex hac felici ſubjectione ad Deum redundabat in intellectu lumen, quo adeo firmiter vero adhæreret, ut nec errare, aut decipi poſſet; omnium enim naturaliter cognoſcibilium certam cognitionem habuiſſet, modo ſuperius explicato, ſicut & omnes ſcientias, quæ ad rectam hominum adminiſtrationem neceſſariæ ſunt.

Et quidem in illo felici ſtatu Adamum errare, aut decipi non potuiſſe, communiter ſentiunt Theologi cum D. Th. *1. p. q. 94. a. 4.* poſt D. Aug. *l. 3. de Lib. arb. c. 18.* dicentem: *Approbare falſa pro veris, ut erret invitus, non eſt naturæ inſtituti hominis, ſed pœna damnati*. Quare in *Enchiridio* c. 21. inter mala, & miſerias hujus vitæ deputat errorem ac deceptionem. Sic ergo dico: omnis error, vel deceptio, eſt malum hominis pertinens ad malum pœnæ: ſed malum pœnæ non infligitur ante malum culpæ; ergo in ſtatu, in quo non fuiſſet culpa, nec fuiſſet error. Si namque in eo ſtatu nullum pateretur homo malum in corpore, puta mortem, ægritudinem, famem, ſitim; multo minus malum aliquid, ſeu defectum pateretur in anima, & mente.

XXVII. Accedit etiam ratio. Nam error, ſive deceptio dupliciter contingere poteſt. Vel involuntarie ſimpliciter: vel aliquo modo voluntarie, voluntate nimirum applicante intellectum ad judicium falſum, vel erroneum de aliquo objecto, quod, paſſione inſtante, inordinate amat, vel deteſtatur: ſed neutro modo, ſtatu innocentiæ durante, contingere potuiſſet. Et quidem non eſt ſecundo modo: nam tunc, cum pars inferior perfecte obediret rationi, nulla eſſet paſſio obſcurans, ac perturbans rationem, qua voluntas mota applicaret mentem ad judicium falſum, vel erroneum. Nec etiam potuiſſet contingere primo modo; quia teſte D. Th. *art. 4.* citato, hoc rectitudo illius ſtatus non patiebatur. Involuntaria enim deceptio, ſive error, non contingit, niſi ex aliquo inferiori, puta phantaſia, quo ligato, vel turbato, mens quoque in ſuo judicio turbatur, ut in amentibus, vel dormientibus apparet; intellectus enim circa proprium objectum ſemper verus eſt, nec ex ſeipſo decipi poteſt: an in ſtatu innocentiæ, in quo, ratione perfecte ſubjecta Deo, inferiora omnia rationi adeo obſequebantur, ut ejus officium nullatenus impedirent, quin potius ei ſincere inſervirent, phantaſiæ turbatio accidere non poterat; ergo neque involuntarius error, ſeu deceptio circa intellectum. *Sicut enim* (inquit S. Thom. citatus) *in membris primi hominis erat quidem carentia perfectionis alicujus puta claritatis, non tamen aliquod malum ineſſe poterat; ita in intellectu poterat eſſe carentia notitiæ alicujus, nulla tamen poterat ibi eſt exiſtimatio falſi*. Quomodo autem contingere potuerit deceptio Evæ, & ſi velis etiam Adami, ex ſuggeſtione ſerpentis, dictum eſt ſupra *Dub. 2. §. 1. n. 13. 14. & 15.* cum D. Thom. hoc *a. 4. ad 1.*

XXVIII. At dices primo. Auguſt. 12. *de Gen. ſ. ad litt. cap. 2.* dicit, quod *in ſomno adhæret anima ſimilitudini, tamquam ipſi rei*: ſed homo in ſtatu innocentiæ comediſſet, & per conſequens dormiviſſet, & ſomniaſſet; ergo deceptus fuiſſet adhærendo ſimilitudinibus tamquam rebus.

Variæ ſunt de ſomniis in ſtatu innocentiæ opiniones. Quidam putant, nulla tunc futura fuiſſe ſomnia. Alii pro ſomniis futuram fuiſſe dicunt continuam Dei contemplationem. Aliis divinas revelationes loco ſomniorum futuras arbitrantur. S. Thom. tum hic *ad 4.* tum *q. 18. de Verit. a. 6. ad 14.* admittit in eo ſtatu ſomnia.

Reſpondeo ergo cum S. D. hic *ad 4.* quod id, quod accidit in ſomnio, non eſt actus hominis, quia non eſt cum uſu rationis. Et loco citato de Verit. ait: *Somnii viſio non eſt in parte intellectiva, ſed in ſenſitiva; unde deceptio non fuiſſet in intellectu, qui liberum uſum in ſomno non habuiſſet, ſed magis in parte ſenſitiva*. Eo vel maxime, quia, ut docet hoc *art. 4. ad 3.* ſi aliter præſentatum fuiſſet in ſomnio ſenſui, vel phantaſiæ, quam ſit in rerum natura, cum evigilaſſet, per rationem veritatem dijudicaret.

XXIX. Dices ſecundo. Homo in ſtatu innocentiæ neſciviſſet ſecreta, & cogitationes cordis, & futura contingentia, ut diximus ſupra; ergo ſi ſuper his aliquis ei falſum diceret, deceptus fuiſſet.

Reſpondeo cum D. Th. *hac a. 4. ad 5.* negando conſeq. Nam *alicui dicenti falſum de contingentibus futuris, vel cogitationibus cordium, homo, in ſtatu innocentiæ non crediſſet ita eſſe; ſed crediſſet, quod hoc eſſet poſſibile. Et hoc non eſſet exiſtimare falſum. Vel poteſt dici, quod divinitus ei ſubventum fuiſſet, ne deciperetur in his, quorum ſcientiam non habebat. Nec eſt inſtantia, quam quidam aſſerunt, quod in tentatione non fuit ei ſubventum, ne deciperetur, licet tunc maxime indigeret: quia jam præceſſerat peccatum in animo, & ad divinum auxilium recurſum non habuit*. De hoc plura videantur *q. 18. de Verit. a. 6.*

XXX. Secundo in voluntatem redundaſſent dona, quibus in bono ſupernaturali, & naturali firmaretur, habitus ſpei, charitatis, religionis, qua Deo cultum, & honorem tam interiori animi veneratione, quam externis ritibus, & cæremoniis exhiberet, juſtitiæ quoque, quæ cuique ſuum præberet. Unde D. Th. 1. 2. *q. 82. a. 3.* oſtendit, quod præcipuus effectus originalis juſtitiæ prius erat in voluntate, quam in alii potentiis. *Tota* enim *ordinatio originalis juſtitiæ ex hoc eſt quod voluntas hominis erat Deo ſubjecta. Quæ quidem ſubjectio primo, & principaliter erat per voluntatem, cujus eſt movere omnes alias partes in finem*. Ex quo infert ab oppoſito, id, quod formale eſt in peccato originali, eſſe in voluntate; quia ex averſione voluntatis a Deo conſecuta eſt inordinatio in omnibus aliis viribus, quæ ad peccatum originale ſe habet tamquam materiale.

XXXI. Tertio. In appetitu ſenſitivo, nempe iraſcibili, & concupiſcibili aderant virtutes morales, quibus appetitus domatur, & rationi obediens efficitur; præſertim vero temperantia, & fortitudo, quas juſtitia originalis in gradu perfectiſſimo continebat; ut inferiores vires adverſus rationem inſurgere nequaquam poſſent.

XXXII. Ex hoc D. Th. *1. p. q. 89. a. 3. q. 7. de Malo a. 7.* & alibi infert, hominem in ſtatu innocentiæ permanentem nec venialiter peccare potuiſſe. Nam veniale peccatum *in nobis contingit, vel propter imperfectionem actus, ſicut ſubiti motus*

motus in genere peccatorum mortalium, vel propter inordinationem exiſtentem circa ea, quæ ſunt ad finem, ſervato debito ordine ad finem. Utrumque autem horum contingit propter quemdam defectum ordinis, ex eo, quod inferius non continetur firmiter ſub ſuperiori. Quod enim in nobis inſurgat ſubitus motus ſenſualitatis, contingit ex hoc, quod ſenſualitas non eſt omnino ſubdita rationi. Quod vero inſurgat ſubitus motus in ratione ipſa, provenit in nobis ex hoc, quod ipſa executio actus rationis non ſubditur deliberationi, quæ eſt ex altiori bono (nempe lege æterna, quam deliberans conſulit, ut docuit 1. 2. *q.* 74. *a.* 10.) *Quod vero humanus animus inordinetur circa ea, quæ ſunt ad finem, ſervato debito ordine ad finem, provenit ex eo, quod ea, quæ ſunt ad finem, non ordinantur infallibiliter ſub fine, qui tenet ſummum locum, quaſi principium in appetibilibus . . . in ſtatu autem innocentiæ aut in prima parte habitum eſt* (q. 72. a. 5.) *erat infallibilis ordinis firmitas, ut ſemper inferius contineretur ſub ſuperiori, quamdiu ſummum hominis contineretur ſub Deo, ut etiam Auguſt. dicit* 14. *de Civit. Dei* (cap. 13.) *& ideo oportebat, quod inordinatio in homine non eſſet, niſi inciperet ab hoc, quod ſummum hominis non ſubderetur Deo, quod fit per peccatum mortale. Ex quo patet, quod homo in ſtatu innocentiæ non potuit peccare venialiter, antequam peccaret mortaliter*. Ita D. Th. 1. 2. *q.* 89. *a.* 3. laudato. Quare ibidem, *ad ſecundum*, & citata *q.* 7. *de Malo* a. 7. ad 12. & 13. docet, quod primum peccatum hominis fuit elatio, qua contra Deum ſuperbivit, quam ſubſequuta eſt cupiditas experiendi in viro, & dubitatio in muliere. Sed de hoc fuſior ſermo erit *q.* 5. *Dub.* 7.

Alia privilegia redundabant ex juſtitia originali etiam in corpus, utpote immunitas ab ægritudinibus, morte &c. de quibus erit quæſtio inferius.

Dubium V.

An in ſtatu innocentiæ transfuſa fuiſſet juſtitia originalis in Poſteros, & ſimul gratia ut ſanctificans, & an in gratia fuiſſent confirmati?

§. I.

Reſolvitur prima pars.

I. Dico. In ſtatu innocentiæ transfuſa fuiſſet juſtitia originalis in Poſteros, & conſequenter etiam gratia ſanctificans: unde in illo ſtatu homines nati fuiſſent cum juſtitia, & gratia. Ita S. Th. 1. *p. q.* 100. *a.* 1. *in* 2. *diſt.* 20. *q.* 2. *a.* 3. 1. 2. *q.* 81. *a.* 2. & alibi. Probatur primo ratione ejuſdem S. Doct. Homo generans naturaliter generat ſibi ſimile in natura ſpeciei, & in accidentibus, quo conſequuntur naturam ſpeciei, vel ſunt ipſi debita; ergo neceſſe eſt, ut in his filii ſimilentur parentibus, niſi ſit error in operatione naturæ, qui in ſtatu innocentiæ non fuiſſet: ſed juſtitia originalis, in qua primus homo conditus fuit, erat accidens naturæ ſpeciei, non quaſi ex principiis ſpeciei cauſatum, ſed tantum ſicut quoddam donum divinitus datum toti naturæ; ergo omnes, qui ex illo primo homine naturam traxiſſent, cum natura traxiſſent etiam originalem juſtitiam. Eo fere modo quo ſi in aliquo uno tota familia Feudo, vel titulo honorifico a Rege donaretur, omnes ex illa familia per illum unum prognati, eodem Feudo, vel titulo decorari naſcerentur.

II. Confirmo ex eodem D. Th. 1. 2. *q.* 81. *a.* 2. & in 2. *diſt.* 20. *q.* 2. *a.* 3. in generatione eſt quædam circulatio, quæ redit non ad idem numero, ſed ad idem ſpecie: homo enim generat hominem, non ſortes ſortem: unde genitum aſſimilatur generanti in omnibus illis, que ad naturam ſpeciei pertinent, niſi adveniat impedimentum, non autem in illis, quæ conſequuntur rationem individui. Et licet aliquando contingat filium aſſimilari generanti in aliquibus accidentibus individualibus, & perſonalibus, hoc tantum accidit in corporalibus: ut ſi robuſtus generet robuſtum, albus album, & podagricus podagricum; non tamen in perfectionibus animæ ſaltem ſecundum actum; unde Grammaticus non generat, nec traducit in filium ſcientiam Grammaticæ, quam perſonali ſtudio acquiſivit, niſi forte ſecundum aptitudinem; quia ex complexione corporis unius eſt habilior altero ad ſcientiam, vel virtutem. Atqui juſtitia originalis fuit donum datum Adamo, non ratione perſonæ, ſed naturæ: fuit enim gratia toti naturæ humanæ divinitus collata in ipſo, ſi permanſiſſet; ergo ſimul cum natura in poſteros traducta fuiſſet.

III. Probo ſecundo ex eodem S. D. loco ex 1. *p.* laudato. Oppoſitorum eadem ratio eſt; ſed peccatum Adami, & inobedientia illius fuit peccatum originis, & inobedientia totius naturæ, quam privatio juſtitiæ in tota natura ſecuta eſt; ideoque originale peccatum traducitur in poſteros, dicente Paulo Rom. 5. v. 19. *per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi*; ergo ab oppoſito obeditio Adami fuiſſet obeditio, & conſervatio juſtitiæ totius naturæ, & traducta cum natura in poſteros. Videatur S. D. in *c.* 6. *ad Rom. lect.* 2. ubi docet, amiſſionem originalis juſtitiæ ſimul cum natura traduci in poſteros, ſicut originalis juſtitia; quia primo homini erat divinitus collata *non ſolum, ut erat perſona quædam ſingularis, ſed etiam, ut erat principium humanæ naturæ; ut ſcilicet eam ſimul cum natura in Poſteros traduceret*.

IV. Ex his infertur ſecunda pars, nempe in ſtatu innocentiæ homines naſcituros in gratia ſanctificante. Cum enim, ut ſuperius dicebamus, hæc non diſtingueretur a juſtitia originali, immo præcipuus hujus effectus, qui erat perfecte ſubdere animam Deo, præſtaretur ab illa; conſequens eſt, ut in quos transfunderetur originalis juſtitia, transfunderetur & gratia. Unde D. Th. 1. p. q. 100. a. 1. ad 2. *quidam* (inquit) *dicunt, quod pueri non fuiſſent nati cum juſtitia gratuita, quæ eſt merendi principim, ſed cum juſtitia originali; ſed cum radix originalis juſtitiæ in cujus rectitudine factus homo, conſiſtat in ſubjectione ſupernaturali rationis ad Deum, quæ eſt per gratiam gratum facientem . . . neceſſe eſt dicere, quod ſi pueri nati fuiſſent in originali juſtitia, etiam nati fuiſſent cum gratia; ſicut & de primo homine ſupra diximus quod fuit cum gratia conditus*.

V. Quia vero potuiſſet aliquis objicere, quod gratia non eſſet amplius gratuita, ſed naturalis; prævenit hanc objectionem, ſubjungens: *Non tamen fuiſſet propter hoc gratia naturalis: quia non fuiſſet transfuſa per virtutem ſeminis ſed fuiſſet collata homini ſtatim cum habuiſſet animam rationalem. Sicut etiam ſtatim cum corpus eſt diſpoſitum, infunditur a Deo anima rationalis, quæ tamen non eſt ex traduce*. Unde Anſelmus *l. de Conceptu Virg. c.* 10. relatus a S. Th. ibi *in arg. ſed contra*, dicit: quod *ſimul cum rationalem haberent animam, juſti eſſent, quos generaret homo, ſi non peccaret*. Quod dixerat quoque S. Th. in 2. *diſt.* 20. *q.* 2. *a.* 3. in fine 2. dicens: *non intelligitur gratia in Poſteros propagari a parentibus, quaſi per virtutem ſeminalem gratiam filii conſequerentur: ſed quia cum transfuſione naturæ, cui ex proviſione divina gratia debebatur, ſimul gratia infuſa fuiſſet*. Hinc juſtitia originalis erat naturalis, non quaſi cauſata ex principiis naturæ: ſed quaſi propaganda cum natura ex pacto, & ordinatione divina, ut docet hac *q.* 100. *a.* 1. 1. 2. *q.* 81. *a.* 2. 4. *Contra Gentes c.* 52. &c.

§. II.

An Homines in ſtatu Innocentiæ nati fuiſſent in gratia confirmati?

VI. Negative reſpondet D. Th. hac *q.* 100. *a.* 2. & in 2. *diſt.* 20. *q.* 2. *a.* 3. *ad* 5. cujus hæc ratio eſt. Manifeſtum eſt, quod pueri in ſua nativitate plus perfectionis non habuiſſent, quam eorum Parentes in ſtatu generationis: ſed Parentes quamdiu generaſſent, non fuiſſent confirmati in juſtitia, ſeu gratia; ergo nec qui ex illis naſcerentur. Min. prob. Creatura rationalis ſecundum legem communem (quidquid ſit de privilegio ſpeciali, ſicut creditur de Virgine Matre Dei) quamdiu vivit in hac vita, in juſtitia, & gratia non confirmatur; ſed tunc ſolum, quando efficitur beata per claram Dei viſionem; *cui viſo non poteſt non inhærere, cum ipſe ſit ipſa eſſentia bonitatis, a qua nullus poteſt averti, cum nihil deſideretur, & ametur, niſi ſub ratione boni*. Et rationem reddit etiam *q.* 5. *de Malo a.* 5. *ad* 8. quod conditioni corporis correſpondere debebat conditio animæ; ſed dum homo etiam innocens hic viveret, & generaret, habebat adhuc corpus animali vita vivens; ergo & anima mutabilis erat, & nondum firmata in bono, & perfecte ſpiritualis effecta.

VII. Hoc idem docet in 2. *diſt.* 20. *q.* 2. *a.* 3. *ad* 5. ubi poſtquam ut magis probabile aſſeruit: *quod ſi Adam in prima tentatione perſtitiſſet, nondum ſtatim confirmationem juſtitiæ fuiſſet adeptus: ſed quando in ſpiritualem vitam fuiſſet tranſlatus, ſimul immortalitatem accepiſſet in corpore, & juſtitiæ confirmationem in anima*; poſt multa ſubjungit: *ſi tamen concedatur, quod Adam confirmatus fuiſſet ſtatim poſt victoriam tentationis, adhuc non ſequitur, quod filios confirmatos in juſtitia genuiſſet; quia hoc ſequebatur actus perſonales ejus: at ita erat perfectio ad perſonam pertinens, quam non oportet in filios propagari: ſicut ſi Adam donum Philoſophiæ habuit, vel miracula faciendi non oportet, quod filii ejus hoc habuiſſent*.

VIII. At dices. Si in ſtatu innocentiæ homines non eſſent confirmati in gratia, jam poſſent peccare, & aliquis eorum de facto mortaliter peccaret; & ſic fieri poſſent filii gehennæ: ſed hoc eſt contra Gregorium *L.* 4. *Moral. c.* 28. dicentem: *ſi parentem primum nulla putredo peccati corrumperet, nequaquam ex ſe filios gehennæ generaret: ſed hi, qui nunc per Redemptorem ſalvandi ſunt, ſoli ab illo electi naſcerentur*; ergo &c.

Primo reſpondet D. Th. *q.* 100. *a.* 2. *ad* 1. diſt. maj. filii gehennæ per peccatum propria voluntate patratum, conc. maj. per peccatum ab Adamo contractum, neg. maj. *Si Adam* (inquit) *non peccaſſet non generaret ex ſe filios gehennæ, ita ſcilicet, quod ab ipſo peccatum contraherent, quod eſt cauſa gehennæ, poſſent tamen fieri filii gehennæ per liberum arbitrium peccando*.

Secundo reſpondet, *quod ſi filii gehennæ per peccatum non fierent, hoc non eſſet per hoc, quod eſſent in juſtitia confirmati; ſed propter divinam providentiam, per quam a peccato conſervarentur immunes*. Unde & ſi ex ſpeciali gloria Dei de facto nullus eorum peccaſſet, quilibet tamen eorum peccare potuiſſet. Vel ſi aliquis etiam peccaſſet nullus impœnitens, peccato non expiato, deceſſiſſet; & ſic verum eſt, quod Gregorius dicit, *ſoli ab illo electi naſcerentur*.

IX. Dubium tamen exurgit ex illis Gregorii verbis: *hi qui nunc per Redemptorem ſalvandi ſunt*; an ſolæ eædem numero perſonæ tunc naſcerentur, quæ modo ſalvantur.

Cui negative reſpondeo. Multi enim, qui nunc ſalvantur, nati ſunt ex eodem quidem Parente, ſed ex diverſis uxoribus, ut filii Jacob: multi nati ſunt ex fornicatione, vel adulterio. In ſtatu autem innocentiæ nec eſſent pluralitas uxorum, nec fornicationes, nec adulteria: & proinde alii eſſent Parentes, & alii filii: ergo multi, qui nunc naſcuntur, & ſalvantur, tunc nec naſcerentur, nec ſalvarentur. Ita S. Thom. *Quodlib.* 5. *a.* 8. qui ad Greg. verba *hi ſoli, qui nunc ſalvandi ſunt, naſcerentur* (dicit) *quod pronomen facit ſimplicem demonſtrationem; quia ſcilicet ſoli Electi naſcerentur quantum eſt ex ratione*

originis non quantum ad demonſtrationem perſonalem, quia aliæ perſonæ eſſent hominum, qui ſalvarentur.

X. Dices ſecundo. Anſelmus *lib. cur Deus homo cap.* 18. dicit: quod *ſi primi parentes viciſſent ut tentati non peccaſſent, ita confirmarentur cum omni propagine ſua, ut ultra peccare non poſſent*: ergo pueri naſcerentur in juſtitia confirmati.

Scotus in 2. *diſt.* 20. *qu.* 1. eſto non admittat, pueros tunc naſcituros in gratia confirmatos, ac ſi confirmatio in gratia transfunderetur, quaſi jure hæreditatis; admittit tamen, quod, ſi primam tentationem viciſſent, confirmandi fuiſſent in gratia, ut non eſſent amplius peccaturi, eſto maneret in eis potentia peccandi: & hoc ad differentiam Beatorum, qui ſic in gratia confirmantur, ut nec de facto peccaturi ſint, nec poſſint peccare. Hoc autem dicit Scotus, quia putat, quod etiam Adamus, ſi primam illam tentationem viciſſent, in gratia confirmatus fuiſſet. Unde juxta hanc doctrinam dicit, Anſelmum velle, non quod ſi Adam non peccaſſet, eo ipſo ipſius filii eſſent in gratia confirmati, ſicut & ipſe eſſet: ſed quod futurum eſſet, ut filii poſt devictam primam tentationem fuiſſent confirmati, ſicut ipſe confirmatus fuiſſet, ſi revera primam tentationem ſuperaſſet.

XI. Non diſpliceret hæc doctrina, ſi Scotus, quod ſupponit, etiam probaret; nempe quod Adam, ſi primam tentationem viciſſet in gratia confirmatus fuiſſet: & rurſus, quod Poſteris ejus, ſimiliter prima tentatione devicta confirmationem in gratia obtinuiſſent. Sed cum pro hoc aſſerendo privilegio, nec rationem, nec auctoritatem, nec pactum afferat, ſtandum potius eſt legi communi cum Div. Thom. quod nec Adamus, nec Poſteri confirmationem in gratia adepti fuiſſent niſi cum per viſionem beatam Deo conjungerentur. Probabile quidem reputat Poſteros Adæ forte non peccaturos; at non per confirmationem in gratia, & poſt primam tentationem devictam, ſed ſpeciali Dei providentia eos ita gubernante, ne peccarent.

Quare ad Anſelmum reſpondet S. Doct. *qu.* 100. *art.* 2. *ad* 2. *Quod Anſelmus hoc non dicit aſſerendo, ſed opinando. Quod patet ex ipſo modo loquendi, cum dicit*: videtur, quod ſi viciſſent.

XII. Replicabis tamen. Bonum eſt potentius, quam malum: ſed propter peccatum primi hominis conſecuta eſt neceſſitas peccandi in his, qui naſcuntur ex eo; ergo ſi perſtitiſſet, conſecuta eſſet neceſſitas non peccandi, & conſervandi juſtitiam. Et hæc eſt ratio, quæ movit Anſelmum citatum.

Reſpondeo cum D. Thom. laudato loc. *ad tertium* neg. min. Nam ratio iſta efficax non eſt, *quamvis per eam Anſelmus motus fuiſſe videatur. Non enim ſic per peccatum primi Parentis ejus Poſteri neceſſitatem peccandi incurrunt, ut ad juſtitiam redire non poſſint, quod eſt tantum in damnatis. Unde nec ita neceſſitatem non peccandi tranſmiſiſſet ad Poſteros, quod omnino peccare non poſſent, quod eſt tantum in Beatis*. Eodem modo reſpondet in 2. *diſt.* 20. *qu.* 2. *art.* 3. *ad* 5. ubi addit: concludere ad ſummum, hominem ex peccatis Adæ contraxiſſe neceſſitatem peccandi venialiter, vel peccandi dum eſt in peccato; quia per ſe licet peccare poſſit, dum tamen in peccatum lapſus eſt, per ſe non poteſt a peccato reſurgere, niſi gratiæ divinæ adjutorio, & infuſione.

Unde argumentum poſſet retorqueri ſic: ſicut malum Adæ non fuit cauſa, cur ejus Poſteri eſſent confirmati in malo, nec etiam poſtquam primæ tentationi ſuccubuerunt, ſed ſolum cur naſcantur mali: ita bonum Adæ meritum non eſſet cauſa, cur naſcerentur confirmati in bono, nec quod devicta prima tentatione, in bono confirmarentur, ſed ſolum cur naſcerentur juſti.

XIII. Dices tertio, Angelus adhærens Deo, aliis peccantibus, ſtatim eſt confirmatus in bono, ut ulterius peccare non poſſet; ergo & homo ſi tentationi reſtitiſſet, confirmatus fuiſſet; ergo ſimiliter ejus Poſteri.

Reſpondeo primo. Quod ſi exemplum Angelorum in homine valeret, probaret, quod ſicut Angeli qui adhæſerunt Deo, confirmati fuerunt in bono, & qui a Deo receſſerunt, confirmati fuerunt in malo; ut nec illi peccare amplius, nec iſti ad Deum amplius reverti poſſint: ita Adamus per obedientiam perſiſtens, fuiſſet confirmatus in bono ut peccare amplius non poſſet; & per inobedientiam lapſus, ſic confirmaretur in malo, ut ad Deum non poſſet amplius per pœnitentiam reverti, eodemque modo nec ejus Poſteri, quod eſſet de hominibus facere Dæmones.

Reſpondeo ergo ſecundo cum Div. Thom. *qu.* 100. *art.* 2. citato ad 4. *quod non eſt ſimile de homine, & Angelo. Nam homo habet liberum arbitrium vertibile, & ante electionem, & poſt, non autem Angelus, ſicut ſupra dictum eſt* (qu. 64. art. 2.) *cum de Angelis ageretur*. Quod nos quoque, *eodem Tractatu qu.* 9. *dub.* 2. §. 2. ex eodem S. Doct. ſtabilivimus.

Dubium VI.

An in ſtatu Innocentiæ Homines nati fuiſſent in ſcientia perfecti, & imperfecto uſu rationis?

§. I.

Reſolutio primæ partis.

I. Duæ circa hoc (referente Divo Thoma *qu.* 18. *de veritate art.* 7.) fuerunt opiniones. Una: *quod pueri in ſtatu innocentiæ quantum ad ea, quæ ſunt animæ, perfecti fuiſſent, ſicut & Adam, & quantum ad virtutes, & quantum ad ſcientiam. Quod autem non eſſent perfecti quantum ad corpus, hoc erat propter neceſſitatem materni uteri, quia oportebat naſci*. Alia: *quod ſicut ſecundum corpus non ſtatim accepiſſent perfectam ſtaturam, ſed ad eam profeciſſent tempore; ita ad perfectam ſcientiam tempore perveniſſent. . . . Sufficiebat autem, ſi habebant tantum de perfectione mox nati, quantum initium perfectionis naturalis requirit*.

II. Circa vero initium naturalis perfectionis, quoad cognitionem, duas opiniones recenſet S. Doct. ubi; *Quidam enim, ut Platonici, poſuerunt, quod anima ad corpus venit plena omnibus ſcientiis; ſed nube corporis opprimitur, & impeditur, ne ſcientia habita libere uti poſſit, niſi quantum ad quædam univerſalia; ſed poſtmodum per exercitium ſtudii, & ſenſuum hujuſmodi impedimenta tolluntur, ut libere ſua ſcientia uti poſſit, & ſic diſcere dicunt eſſe idem, quod reminiſci*. Qua opinione poſita pergit S. Doct. *oportet dicere, quod pueri mox nati in ſtatu innocentiæ omnium ſcien[tiam] habuiſſent. Quia corpus illud in ſtatu innocentiæ illo erat omnino ſubditum animæ, quia per molem corporis non potuiſſet anima ita opprimi, ut ſuam perfectionem omnino amitteret*.

Sed (proſequitur Angelicus Magiſter) *quia hæc opinio procedere videtur ex hoc, quod eadem ponitur natura Angeli; & animæ, ut ſic anima in ſui creatione plenam ſcientiam habeat, ſicut & intelligentia dicitur eſſe plena formis creata, & ratione cujus Platonici dicebant, animas fuiſſe ante corpora, & poſt corpus redire ad compares ſtellas, quaſi quaſdam intelligentias, quæ quidem opinio non eſt conſona Catholicæ veritati*.

Ideo, ſecundum opinionem Ariſtotelis, alii dicunt, quod intellectus humanus eſt ultimus in ordine intelligibilium, ſicut materia prima in ordine ſenſibilium: & ſicut materia prima, ſecundum ſui eſſentiam conſiderata, nulla formam habet; ita intellectus humanus in ſui principio eſt ſicut tabula, in qua nihil ſcriptum eſt, ſed poſtmodum in eo ſcientia per ſenſus acquiritur, virtute intellectus agentis. Hæc D. Thomas. Ex quibus

III. Dico. Pueri in ſtatu innocentiæ non naſcerentur perfecti in ſcientia, ſed eam in proceſſu temporis abſque difficultate acquiviſſent inveniendo, vel addiſcendo. Ita expreſſis verbis S. Thom. 1. *par. qu.* 101. *art.* 1. cujus ratione probatur ſic. Ubi divina auctoritas, quæ dictet oppoſitum, deficit, ſequi debemus naturæ conditionem; ſed naturale eſt homini, ut ſcientiam per ſenſus acquirat, *ideo* enim *anima unitur corpori, quia indiget eo ad ſuam propriam operationem, quod non eſſet, ſi ſtatim a principio ſcientiam haberet non acquiſitam per ſenſitivas virtutes*; ergo cum divina auctoritate non conſtet oppoſitum, dicendum eſt, quod pueri mox nati, ſicut non ſtatim a principio habuiſſent perfectum uſum membrorum, ita neque habuiſſent perfectum uſum cognitionis.

IV. Notat tamen, S. Doct. ibi *ad* 3. quod cum pueri mox nati juſtitiam habuiſſent, ſufficientem quoque habuiſſent ſcientiam ad dirigendum eos in operibus juſtitiæ, & multo plenius, quam nunc naturaliter habemus. Et qu. 18. de Verit. art. 7. citato: *ſed tamen* (inquit) *aliquam ſcientiam in eis ponere perfectam oportet, ſcilicet eligendorum, & vitandorum ſcientiam, quæ ad prudentiam pertinet; quia ſine prudentia cæteræ virtutes eſſe non poſſunt, ut probatur. Ex his quas utique oportebat pueros habere propter originalem juſtitiam*. Et hoc eſt, quod naturæ integritati conveniebat. *Si autem* (ait S. Doct. ibi) *aliquid aliud ex divina gratia eis fuiſſet collatum ſupra id, quod naturæ integritas requirebat, hæc aſſeri non poteſt, cum non habeatur ex auctoritate expreſſum*.

V. Sed dices primo. Sicut Adam habuit juſtitiam, ita habuit plenam omnium ſcientiam: ſed quia generabat filios ſibi ſimiles, nati fuiſſent cum juſtitia; ergo eadem ratione nati fuiſſent cum ſcientia.

Reſpondeo cum D. Thom. hac *qu.* 102. *art.* 1. *ad* 1. neg. conſ. juſtitia enim erat accidens gratuitam totius naturæ; ideoque ea derivare debeat ad omnes, quibus communicabat naturam. At eſſe perfectum in ſcientia ſtatim ab initio, ſicut etiam in adulta ætate, fuit individuale accidens ei conveniens, in quantum inſtituebatur ut Pater, & inſtructor totius generis humani. Et ideo, quantum ad hoc, non generabat filios ſimiles ſibi, ſicut neque ætatis adultæ, ſed ſolum quantum ad accidentia naturalia, vel gratuita totius naturæ. Ita quoque reſpondet *quæſt.* 18. *de Verit. artic.* 7. in corp. & *ad* 1. dicens: *Qualis fuit Adam, tales filios generaſſet quantum ad ea, quæ ſibi debebantur ex naturæ ſpecie, ſed quantum ad ea, quæ ſibi debebantur ut erat principium humani generis, non oportebat, quod filii ei ſimiles naſcerentur*. Hinc ibi ad 6. dicit *quod quamvis anima Adæ, & animæ filiorum ejus fuerint ejuſdem naturæ, non tamen ejuſdem officii; quia anima Adæ conſtituebatur, ut quidam fons, unde in Poſteros omnis diſciplina perveniret: & ideo oportebat, eam ſtatim eſſe perfectam, quod non oportuit de animabus filiorum*.

VI. Dices ſecundo. Si pueri in illo ſtatu non ſtatim habuiſſent ſcientiam, ſed eam paulatim, ac ſenſuum uſu acquirere debuiſſent, ſequeretur primo; in eis per aliquod tempus futuram ignorantiam; quæ cum ex peccato cauſata ſit, indecens fuiſſet in ſtatu innocentiæ. Secundo: quod uſus intellectus impediretur a corpore, quod eſſe non poterat. Tum quia actus intellectus, utpote ſpiritualis, eſt a corpore independens. Tum quia anima tunc perfecte dominabatur corpori. Tertio: quia, quod ſuperiores vires ab inferioribus accipiant, videtur eſſe perverſitas ordinis, quæ in illo ſtatu, in quo omnia bene ordinata erant concipi non poteſt.

VII. Reſpondeo ad primum cum D. Thom. hac *qu.* 101. *art.* 1. *ad* 2. quod ignorantia (proprie talis, & pœna peccati) *eſt privatio ſcientiæ, quæ debet haberi pro tempore illo, quod in pueris mox natis non fuiſſet; habuiſſent enim ſcientiam, quæ eis competebat ſecundum tempus illud; unde ignorantia in eis non fuiſſet, ſed neſcientia reſpectu aliquorum, quam etiam Dionyſius ponit in Angelis Sanctis in* 6. *Cæleſtis Hierarchiæ*.

Ad ſecundum dico cum eodem in 2. diſt. 26. qu. 2. art. 2. ad 1. *quod operatio intellectus non impeditur propter defectum corporis per ſe, ſed per accidens, ſcilicet ex defectu virium, a quibus intellectus accipit.*

Ad tertium dico, quod eſſet quidem perverſitas ordinis, ſi intellectus, qui eſt ſuperior, a viribus inferioribus acciperet immediate perfectionem intelligibilem, non vero ſi ab eis mediate ſolum accipiat materiam, quæ illi quaſi materialiter adminiſtretur, & operatur ab imaginativa; quæ poſtea formaliter in eſſe intelligibili compleatur ex lumine intellectus agentis: ex quo ſolum ſequitur, quod intellectus paſſibilis formaliter accipiat perfectionem, & perficiatur ab intellectu agente, qui eſt potentia altior, non a ſenſu, qui ſe habet, ut pure adminiſtrans materiam. Ita reſpondet S. Thom. in 2. ſent. citato loco *ad ſecundum*.

VIII. Dices tertio. Magis decuiſſet hominem naſci perfectum in anima, quam in corpore: ſed in corpore abſque omni defectu nati fuiſſent; ergo & in anima.

Reſpondet S. Thom. *qu.* 18. de Verit. art. 7. ad 4. *Quod in corpore puerorum non fuiſſet aliquis defectus, quo privarentur bono tunc eis debito. Erat tamen in eorum corporibus carentia alicujus boni quod eis poſtea acceſſiſſet: ſicut ſtatura perfecta, & donum gloriæ. Similiter eſt dicendum ex parte animæ.*

IX. Dices quarto. Perfectioris cognitionis ſecundum ſuam naturam, aliis animalibus eſt homo: ſed alia animalia mox nata habent cognitionem convenientis, & nocivi; unde agnus mox natus fugit lupum, & ſequitur matrem; ergo &c.

Reſpondeo, duplicem cognitionem eſſe in homine: unam ex naturali inſtinctu æſtimativæ virtutis, & hac ſola potiuntur bruta; unde ſicut bruta mox nata fugiunt nociva, & convenientia proſequuntur; ita & pueri mammillas accipiunt, & alia ſibi convenientia, quin ab aliis doceantur; & multo magis id præſtitiſſent in ſtatu innocentiæ quibus naturaliter ineſſet prudentia, & in ea perfecti eſſent: Aliam per rationis deliberationem, ad quam propria inquiſitione pervenire poteſt homo, qua carent bruta; & hac non opportuit, ut homo ſtatim præditus eſſet circa omnia, maxime ſpeculabilia; ſed conveniens fuit ſecundum ſuam naturam, ut inquiſitione, vel magiſterio abſque tamen difficultate, proceſſu temporis perveniret. Ita D. Th. tum in 2, *diſt.* 20. *q.* 2. *a.* 2. *ad* 5. tum *qu.* 18. *de Verit. a.* 7. *ad* 7.

§. II.

Reſolutio ſecundæ partis.

X. DUplex quoque circa hoc eſt opinio, ait S. Thom. qu. 18. de Verit. art. 8. *Quidam enim dicunt, quod pueri in ſtatu innocentiæ habuiſſent plenum uſum omnium membrorum; & iſta ineptitudo membrorum, quæ in pueris nunc videtur, ſcilicet, quod non poſſint uti pedibus ad incedendum, manibus ad ſcalpendum, & ſic de aliis, ex primo peccato pervenit. Alii autem conſiderantes, hujuſmodi ineptitudines, ex principiis naturalibus cauſari utpote ex humiditate, quam neceſſe eſt in pueris abundare, dicunt, quod in ſtatu inocentiæ membra puerorum non fuiſſent omnino habilia ad ſuos actus quamvis nec omnino ita deficerent, ſicut & modo; quia cum eo, quod eſt naturæ additur id, quod eſt corruptionis.* Ita D. Thomas, qui cum huic adhæreat opinioni. Ideo

XI. Dico, Pueri in ſtatu innocentiæ non habuiſſent perfectum uſum rationis, ſicut habituri erant in perfecta ætate; habuiſſent tamen perfectiorem, quam nunc, quantum ad ea, quæ ad eos pertinebant, quantum ad ſtatum illum. Ita iiſdem terminis S. Doct. tum *qu.* 18. *de Verit. art.* 8. citato: tum hac 1. *par. qu.* 101. *art.* 2. cujus hæc eſt ratio. Perfectus uſus rationis in anima conjuncta corpori pendet a perfecto uſu ſenſuum: unde ligatis, vel impeditis, vel turbatis ſenſibus, maxime æſtimativa, & imaginativa, perfectus rationis uſus non habetur, ut patet in dormientibus, vel phreneticis: ſed in pueris perfectus uſus ſenſuum eſſet impeditus ob nimiam humiditatem cerebri, qua etiam impeditus eſſet perfectus uſus membrorum; ergo &c. min. explicat S. Doct. qu. 18. de Verit. art. 8. ad 5. *Nam imaginativæ virtutis organum, & memorativæ, & cogitativæ, eſt in ipſo cerebro, quod eſt locus ſummæ humiditatis in corpore humano. Et ideo propter abundantiam humiditatis, quæ eſt in pueris, magis impediuntur actus harum virium, quam ſenſuum externorum. Intellectus autem accipit immediate non a ſenſibus exterioribus, ſed interioribus.* Circa tamen hoc impedimentum

XII Notat S. Præceptor citata qu. 18. de Verit. art. 8. ad 2. *Quod anima a corpore dupliciter poteſt impediri. Uno modo per modum contrarietatis, in quantum corpus animæ reſiſtit, & eam obnubilat, quod quidem in ſtatu innocentiæ non fuiſſet. Alio modo per modum impotentiæ & defectus, in quantum ſcilicet corpus non eſt ſufficiens ad omnia illa explenda, ad quæ anima quantum eſt de ſe ſufficiens eſſet. Et hoc modo animam in ſtatu innocentiæ a corpore fuiſſe impeditam nihil prohibet. Sic enim conſtat, quod per corpus impediebatur, ne obſtruſa tranſiret, ne tanta facilitate locum mutaret, quanta, cum eſt ſeparata, mutat; & per hunc modum impediebatur, ne uſum potentiarum perfecte habere poſſit. In hoc tamen nullus dolor fuiſſet, quia anima propter ſui ordinationem non imperaſſet, niſi quod corpus exequi poſſet.*

XIII. Hinc ibid. *ad* 7. ait: quod modo *corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, non ſolum per impotentiam, ſed per reſiſtentiam, & obnubilationem: ſed corpus hominis in ſtatu innocentiæ impediebat actus animæ, ſolum propter imperfectionem virtutis, vel diſpoſitionis.* Hæc D. Thomas, quibus præveniuntur objectiones, quæ fieri poſſent. Non tamen adeo ligatus fuiſſet uſus intellectus, ſicut nunc eſt, ſed expeditus eſſet ſaltem ad ea, quæ ſtatui puerili convenirent.

QUÆSTIO IV.

De ſtatu Hominis Innocentis quoad corpus.

STatus innocentiæ felicitas nedum in anima ſiſtebat, ſed extendebatur etiam ad corpus. De hac igitur in præſenti quæſtione ſermo erit, & quantum ad ea, quæ tangunt conſervationem individui, cum D. Thom. 1. *par. qu.* 97. & quantum ad ea, quæ reſpiciunt conſervationem ſpeciei, cum eodem *qu.* 98. quibus addemus aliqua de dominio, & politia illius ſtatus.

DUBIUM I.

An Homo in ſtatu Innocentiæ fuiſſet immortalis, & unde hoc proveniret?

§. I.

Aſſeritur Hominis Innocentis immortalitas.

I. ADamum conditum fuiſſe immortalem, ſicut, niſi peccaſſet, nec ipſe, nec ullus hominum unquam fuiſſet moriturus, & mors non neceſſitate naturæ, ſed merito peccati in Mundum intraverit, fides Catholica docet contra Cæleſtium, & Pelagium. Hoc enim primo docet Scriptura, tum Sap. 1. ver. 13. *Deus mortem non fecit*, humanam ſcilicet. Hoc eſt: non ita hominem condidit, ut mortis neceſſitati ſubjaceret, morique deberet, ſi maneret in eo ſtatu, in quo Deus illum condiderat. Tum Sap. ver. 23. *Deus creavit hominem inexterminabilem*, ideſt immortalem: exterminatio enim mortem ſignificat ex uſu legis Moſaicæ.

Deinde *Geneſ.* 2. *ver.* 17. Deus comminatur Adæ mortem in pœnam, ſi tranſgrederetur præceptum de non comedendo: *In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris*; ergo antea non erat mortalis; ergo ſi non comediſſet, moriturus non fuiſſet. De morte autem corporis ſermonem eſſe conſtat. Et quia, teſte Hieronymo in quæſt. Hebraicis, loco *morieris*, bene vertit Symmachus *mortalis eris*. Et quia ita intelligunt PP. Auguſtinus *lib.* 13. *de Civit. Dei cap.* 12. Gregorius *lib.* 4. *Moral. cap.* 30. & alii. Sed Deus ipſe hoc indicavit *Geneſ.* 3. *ver.* 19. ubi Adæ in pœnam præcepti violati dicit, eum reverſurum in terram, de qua ſumptus eſt: *& in pulverem reverteris.*

II. Hoc textu S. Auguſtin. *lib.* 1. *de Peccat. merit. cap.* 2. Pelagianos ita aggreditur: *Qui dicunt, Adam ſic creatum, ut etiam ſine peccati merito moreretur, non pœna culpæ, ſed neceſſitate naturæ, profecto illud, quod in Lege dictum eſt*: Qua die ederitis, morte moriemini, *non ad mortem corporis, ſed ad mortem animæ, quæ in peccato fit, referre conantur. Qua morte mortuos ſignificavit Dominus infideles, de quibus ait*: ſine mortuos ſepelire mortuos ſuos. *Quid ergo reſpondebunt, cum legitur, hoc Deum primo homini etiam poſt peccatum increpando, & damnando dixiſſe*: Terra es, & in terram ibis? *Neque enim ſecundum animam, ſed, quod manifeſtum eſt, ſecundum corpus terra erat, & morte ejuſdem corporis erat iturus in terram. Quamvis enim ſecundum corpus terra eſſet, & corpus, in quo creatus eſt, animale geſtaret; tamen, ſi non peccaſſet, in corpus fuerat ſpiritale mutandus, & in illam incorruptionem, quæ fidelibus, & Sanctis promittitur, ſine mortis periculo tranſiturus.*

III. Hoc etiam aperte pronunciat Paulus Rom. 5. cap. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors.* Rom. 6. ver. 23. *ſtipendia enim peccati mors.* Et 1. Cor. 15. ver. 21. *Per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum*: ubi de morte, & reſurrectione corporali evidens eſt. Quia tamen ad mortem animæ, non corporis, etiam præfata verba Pelagiani detorquebant, dicentes hanc mortem animæ per peccatum, *non propagatione in alios homines ex primo homine, ſed imitatione tranſiſſe*; ſic eos arguit idem S. Auguſt. laudato lib. 1. de Peccat. merit. cap. 9. *Si Apoſtolus peccatum illum commemorare voluiſſet, quod in hunc Mundum, non propagatione, ſed imitatione intraverit, ejus principem, non Adam, ſed Diabolum diceret, de quo ſcriptum eſt* Jo. 3. ver. 8. Ab initio Diabolus peccat, *De quo etiam legitur in lib. Sapientiæ* (2. ver. 24.) Invidia autem Diaboli mors intravit in Orbem terrarum. *Nam quoniam iſta mors ſic a Diabolo venit in homines, non quod ab illo fuerint propogati, ſed quod eum fuerint imitati, continuo ſubjunxit* (ver. 25.) Imitatur autem eum, qui ſunt ex parte ipſius. *Proinde Apoſtolus cum illud peccatum, ac mortem commemoraret, quæ ab uno in omnes propagatione tranſiſſet, eum Principem poſuit, a quo propagatio generis humani ſumpſit exordium.* Sed de hoc fuſius, cum de peccato originali inferius ſermo erit. Videri poteſt etiam *lib.* 6. *Oper. imperfect. contra Julian. cap.* 56. ubi exponens prælaudata Pauli verba: *Per hominem mors, per hominem reſurrectio mortuorum*, ait: *De reſurrectione corporis loquitur: Huic ergo e contrario mors opponitur corporis, eiſque, ideſt morti corporis, & reſurrectioni, ſinguli diſtribuuntur auctores, homines duo .... ſicut enim in Adam omnes moriuntur, ſic & in Chriſto omnes vivificabuntur.* Moriuntur, *ait, non ait*: morientur: *ex altera vero parte, non ait*; vivificentur, *ſed* vivificabuntur. *Nunc enim moriuntur ex pœna, tunc vivificabuntur ex præmio &c.* Conſtat ergo ex Scriptura, & Auguſtin. hominem ſic conditum fuiſſe, ut corpore non moreretur, ſi non peccaret, & mortem corporis pœnam eſſe peccati.

IV. Merito igitur Eccleſia Catholica oppoſitum Pelagianum dogma confixit tum anno 416. in Concil. Milevitano II. Can. 1. his verbis: *Quicumque dicit Adam primum hominem mortalem factum: ita ut ſive peccaret, ſive non peccaret, moreretur in corpore, hoc eſt, de corpore exiret, non peccati merito, ſed neceſſitate naturæ; anathema ſit.* Hunc errorem ſibi oppoſitum in

in Judicio Palæſtino damnare coactus fuit Pelagius, & damnavit, ficto tamen corde, de quo Auguſt. *lib. de Geſtis Pelagii c.* 11. Tum in Arauſicano II. anno 529. ubi Can. 2. expreſſe dicitur, quod mors eſt pœna peccati: & tandem in Tridentino *ſeſſ.* 5. in *Decreto de peccato Originali* dicitur anathema ei, qui non confitetur, *primum hominem Adam .... incurriſſe per offenſam prævaricationis .... iram, & indignationem Dei, atque ideo mortem, quam illi comminatus fuerat Deus.*

V. Pro hac veritate S. Th. in 2. *diſt.* 19. *qu.* 1. *art.* 2. hanc congruentiam adhibet. Ea enim, quæ fiunt ob aliquem finem, inſtituuntur, ut ſint apta ad illum finem, ut patet in artificialibus: ſed homo fuit inſtitutus ad finem æternæ beatitudinis excedentis omnem facultatem naturæ; ergo oportuit, ut in ſui inſtitutione aliquid ei conferretur, quo æternitati beatitudinis conſequendæ eſſet idoneus. Sed ex principiis naturalibus hoc eſſe perpetuum habere non poterat, cum eſſet compoſitus ex contrariis, quorum pugna inducit corruptionem: ergo oportuit, ut aliquid ei, vel animæ ejus conferretur ſupra communem naturæ curſum, quo contrariorum componentium pugnam cohiberet.

Quia vero hæc poteſtas data animæ ſuper Corpus conſequebatur ex ordinatione ejus in finem, impediri ejus effectus non poterat, niſi per deordinationem ejus a fine, quæ ſine peccato eſſe non poterat; ergo ſi non peccaſſet, continuaſſet in anima poteſtas ſupra corpus, ut a corruptione præſervaretur, & ejus eſſe non interciperetur morte. *Et ideo* (concludit S. Th.) *quodammodo erat mortalis; in quantum poterat mori, & quodammodo immortalis, in quantum poterat non mori. Sed potentia moriendi non poterat reduci ſtatim in actum, niſi præcedente immutatione animæ ſecundum actum peccati; ideo ſimpliciter dicendus erat homo in ſtatu illo immortalis, & mortalis nonniſi ſecundum quid, ſcilicet ſi peccaret. Quia ut in* 9. *Metaph. dicitur, illud dicitur ſimpliciter eſſe in potentia aliquid, quod poteſt ſtatim reduci ad actum uno motore. Sicut non dicimus, quod ex terra poſſit fieri ſtatua, ſed ex cupro, quamvis ex terra fiat cuprum.*

§. II.

Unde Immortalitas in Homine Innocente proveniret.

XI. STatuta tamquam catholica veritate hominis innocentis immortalitate, id, quod controvertitur, eſt; unde iſta immortalitas proveniret.

Pro quo ſciendum ex D. Thom. hac 1. *p. q.* 97. *artic.* 8. quod *aliquid poteſt dici incorruptibile tripliciter. Uno modo ex parte materiæ, eo ſcilicet, quod, vel non habet materiam, ſicut Angelus: vel habet materiam, quæ non eſt in potentia niſi ad unam formam, ſicut corpus Cæleſte: & hoc dicitur ſecundum naturam incorruptibile. Alio modo dicitur aliquid incorruptibile ex parte formæ; quia ſcilicet rei corruptibili per naturam inhæret aliqua diſpoſitio, per quam totaliter a corruptione prohibetur: & hoc dicitur incorruptibile ſecundum gloriam .... Tertio modo dicitur aliquod incorruptibile ex parte cauſæ efficientis.*

XII. Certum eſt, corpus hominis innocentis non futurum incorruptibile, nec primo, nec ſecundo modo. Non ſecundo: quia nondum fuiſſet in ſtatu beatitudinis, & gloriæ per claram Dei viſionem, & perfectam adhæſionem ſummo bono, ſed adhuc in ſtatu viæ. Neque primo: cum enim homo habuiſſet materiam, ſicut modo, non cæleſtem, ſed terrenam, in potentia ad plures formas; corpus inſuper ex contrariis compoſitum, quæ contrarietas eſt cauſa corruptionis, & quamvis anima ex ſe ad perpetuitatem inclinet, utpote ſpiritualis, quia tamen unitur corpori ſecundum ejus capacitatem, & diſpoſitionem, quæ non eſt, ut ſemper ſit, ſed ut aliquando diſſolvatur: ideo non ſic illud perficit, ut inſeparabiliter illud contineat. Reſtat ergo, ut homo innocens non haberet ex ſuis principiis, quod eſſet immortalis; & immortalitas non eſſet ei naturalis, quaſi conſequens naturam ſpeciei: niſi forte dici poſſet naturalis, quia ſi non peccaſſet, ſimul cum natura ei collata fuiſſet; eo modo, quo de juſtitia originali ſuperius dicebamus.

VIII. Supereſt ergo ut dicatur, ſolum fuiſſe immortalem ex parte cauſæ efficientis, & ex gratia Conditoris, qui hoc dedit homini, ut, quandiu non peccaret, immortalitate vigeret. Ita S. Th. tum hac *q.* 97. *art.* 1. Tum in 1. *part. q.* 76. *art.* 5. *ad* 1. ubi hæc habet; *Corpus hominis ante peccatum immortale fuit, non per naturam, ſed per gratiæ divinæ donum: alioquin immortalitas ejus per peccatum ſublata non eſſet, ſicut nec immortalitas Dæmonum.* Ex quo ſic diſcurro. Si homo ante peccatum fuiſſet immortalis per naturam, etiam poſt peccatum manſiſſet immortalis; ſicut, quia Angeli ſunt immortales per naturam, etiam qui per peccatum facti fuerunt Dæmones, immortales perſtiterunt: ſed homo poſt peccatum mortalis evaſit; ergo ante non erat immortalis per naturam. *Sed* (ut ait D. Th. q. 5. de Malo art. 5.) *quia Deus, qui eſt hominis inſtitutor hanc neceſſitatem materiæ ſua omnipotentia potuit prohibere, ne in actum prodiret, ejus virtute collatum eſt homini ante peccatum, ut a morte præſervaretur, quouſque tali beneficio ſe reddidit peccando indignum. Sicut & faber præſtaret ferro, ex quo operatur, ſi poſſet, quod nunquam frangeretur.* Hoc idem docet 1. p. q. 102. art. 4. *Incorruptio* primi ſtatus *non erat homini ſecundum naturam*, ſed *ex ſupernaturali Dei dono*. Et propterea ſubdit: *Ut ergo hoc gratiæ Dei imputaretur, non humanæ naturæ, Deus hominem extra Paradiſum fecit, & poſtea ipſum in Paradiſo poſuit*, videlicet tamquam in loco congruo habitationi humanæ quantum ad incorruptionem primi ſtatus.

IX. Hanc ſententiam communiter tenent Scolaſtici, & ante illos Cyrillus *lib.* 1. *in Joann. cap.* 15. & S. Aug. *l.* 1. *de Peccat.* *meritis capit.* 3. dicens: *Neque enim metuendum fuit, ne forte, ſi diutius hic viveret, in corpore gravaretur, & paulatim veteraſcendo perveniret ad mortem.* Deinde explicans modum, quo hoc factum fuiſſet, ſubdit: *Si enim Deus Iſraelitarum veſtimentis, & calceamentis præſtitit, quod per tot annos non ſunt obtrita, quid mirum, ſi obedientiæ hominis ejuſdem potentia præſtaretur; ut animalem, ac mortalem haberet in eo quemdam ſtatum, quo ſine defectu eſſet annoſus, tempore, quo Deus vellet, a mortalitate ad immortalitatem, ſine media morte venturus.* Et *cap.* 4. obſervans, quod Apoſtolus Roman. 8. verſ. 10. dicit: *Corpus quidem mortuum eſt propter peccatum*, ſubdit: *Vigilantiſſime non ait, mortale; ſed* mortuum; quia ſcilicet ante peccatum erat mortale, licet non moriturum. Unde cap. 5. ait: *Namque antequam immutaretur in illam incorruptionem, quæ in Sanctorum reſurrectione promittitur, poterat eſſe mortale, quamvis non moriturum: ſicut hoc noſtrum poteſt, ut ita dicam, eſſe ægrotabile, quamvis non ægrotaturum .... Sed ipſum mortale non eſt factum mortuum, niſi propter peccatum &c.* Erat ergo corpus Adæ natura mortale, quamvis, ſi non peccaſſet, non moriturum. Quod adeo verum eſt ſecundum Catholicam fidem, ut inter articulos a Summis Pontificibus damnatos ſeptuageſimus quintus ſit: *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, ſed naturalis conditio.*

X. Sed dices. Mors non lege naturæ, ſed merito peccati inflicta eſt. Unde Auguſtinus *lib.* 4. *contra duas Ep. Pelag. c.* 4. injuſtum reputat, quod non mors ſine peccato propagetur.

Reſpondetur, mortem dici non lege naturæ, ſed merito peccati inflictam de facto, & ſumpta natura, ut de facto a Deo fuit inſtituta, & præſuppoſita Dei ordinatione, quæ ſic hominem conſtituerat, ut nunquam moreretur, ſi non peccaret; & hoc modo mors eſt contra naturam, atque adeo pœna propter peccatum inflicta. At ſi homo conſideratur ſecundum pura ſuæ naturæ principia, ſic naturale eſt ei ſecundum corpus diſſolvi, & mori. Quia licet animæ immortali bene congrueret corpus immortale, dum tamen eſt forma corporis requirentis contrariam qualitatum temperiem, naturaliter poſtulat corpus, quod, niſi aliunde præſervetur, corruptibile ſit.

Videndum modo eſt, quomodo corpus primi hominis, cæteroquin mortale, a Deo præſervatum fuiſſet a morte, ſi non peccaſſet.

XI. Dico. Multas fuiſſe cauſas, quæ ſimul conjunctæ hoc bonum homini contuliſſet. Prima, & principalis a S. Th. hac *qu.* 97. *artic.* 1. ſtatuitur virtus a Deo animæ collata, qua poterat corpus ab omni corruptione præſervare, quamdiu ipſa Deo manſiſſet ſubjecta. *Inerat* (inquit) *animæ vis quædam ſupernaturaliter divinitus data, per quam poterat corpus ab omni corruptione præſervare, quamdiu ipſa Deo ſubjecta manſiſſet. Quod rationabiliter factum eſt. Quia enim anima rationalis excedit proportionem corporalis materiæ .... conveniens fuit, ut in principio ei virtus daretur, per quam corpus conſervare poſſet ſupra naturam corporalis materiæ.*

Quid porro eſſet illa virtus ſupernaturaliter animæ conceſſa, videtur ſentire, fuiſſe ipſam juſtitiam originalem, ſeu gratiam gratum facientem, quæ in illo ſtatu potiebatur perfecte dominativa in corpus, ut ei perfecte in omnibus obediret. Hoc indicat præſenti *art.* 1. *ad* 3. ſuperius *q.* 95. *art.* 1. & *q.* 5. *de Malo art.* 5. *ad* 11.

XII. Secunda cauſa erat bona quædam corporis conſtitutio, ac temperies, qua, accedentibus aliis, mortem effugere poterat. Neque obſtat, quod S. Thomas hac *q.* 97. *art.* 1. dicat: *non enim corpus ejus erat indiſſolubile per aliquem immortalitatis vigorem in eo exiſtentem.* Nam S. Doct. ſolum negat in corpore hominis innocentis qualitatem, ſeu diſpoſitionem, quæ redderet ipſum immortale, & incorruptibile totaliter, eo modo, quo, ut ſuperius dixerat, fiet incorruptibile in gloria: non tamen negat, in corpore innocente quamvis intrinſece mortali, talem futuram bonam complexionem, & temperiem, qua eſſet idoneus, ut ab anima præſervaretur a morte. Ideo autem vim præſervativam in ſola anima ſtatuit, non in corpore; ut oſtendat, totam rationem corruptionis in illo corpore, eſſe obedientiam animæ, quam cum amiſerit per peccatum, ſuæ corruptioni relictus eſt. Unde S. Auguſt. *lib.* 13. *de Civit. Dei c.* 23. oſtendens, etiam ante peccatum habuiſſe hominem corpus animale: *Non enim* (inquit) *exiſtimandum eſt, eum, priuſquam peccaſſet, ſpirituale corpus habuiſſe, & peccati merito in animale mutatum.* Sed, ut ait lib. 1. de peccat. merit. c. 16. *Quando peccavit Adam, non obediens Deo, tunc ejus corpus, quamvis eſſet animale, ut mortale, gratiam perdidit, qua ejus anima omni ex parte obediebat.* Et hac ratione dicit Concil. Arauſican. II. *Can.* 1. per offenſam prævaricationis Adæ totum hominem, ideſt ſecundum corpus, & animam, in deterius eſſe commutatum; quia anima perdidit virtutem ſibi ſubigendi corpus, & corpus obedientiam animæ cœpit excutere.

XIII. Tertia cauſa erat uſus Ligni vitæ, quo virtus ſpeciei in priſtinum vigorem reparabatur: de quo ſupra egimus, & inferius ſtatim dicemus.

XIV. Quarta cauſa adjungi poteſt, nempe prudentia hominis innocentis, qua ab omnibus noxiis, & periculis caviſſet.

XV. Quinta tandem ſpecialis Dei providentia, & Angelorum cuſtodia. Nam quamvis corpus hominis tale eſſet, ut ab igne, aliiſque noxiis lædi poſſet, ſi quid eorum ipſi inferretur; ſic tamen protegebatur, ut ei in innocentia permanenti, nihil unquam tale accideret. Utramque hanc præſervationis cauſam complectitur S. Th. hac *q.* 97. *art.* 2. *ad* 4. dicens: *Corpus hominis in ſtatu innocentiæ poterat præſervari, ne pateretur læſionem ab aliquo duro; partim quidem per propriam rationem;*